BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
D
26
98

Inter libros
Josephi Mariæ Paracandolo
Antecessoris Regii
A L X.

SUMMORUM PONTIFICUM CONSTITUTIONES,

SAC. CONGREGATIONIS LAURETANÆ

RESOLUTIONES

SUPER CONTROVERSIIS JURISDICTIONALIBUS

INTER

EPISCOPUM, ET GUBERNATOREM LAURETANOS,

AC PLURIMA DUBIA

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

DECISA,

CUM ALPHABETICA SYNOPSI.

OMNIA

Ejusdem PONTIFICIS MAXIMI Auctoritate

Edita, & Confirmata.



ROMÆ. MDCCXLIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE "V.E. III" - NAPOLI

SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO.

SANCTAM LAURETANAM DOMUM multis jam a Summis Pontificibus Privilegiis cumulatam, a Sixto V. in Cathedralem erectam, a Paulo V. ſub ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Protectione ſuſceptam, ab Innocentio tandem XII. peculiari Congregationi, quæ illam per Gubernatorem moderaretur, ſubjectam, a nemine exiſtimo ignoratum iri, qui dictorum Pontificum Conſtitutiones fuerit perſcrutatus. Ut autem in his ſolet contingere, non paucæ ſtatim ab initio cæperunt inter Epiſcopum, & Gubernatorem pro eorum reſpectiva Juriſdictione Contentiones oriri; & ab Anno præteriti Sæculi XCVIII., in quo ſuam Innocentius XII. edidit Conſtitutionem, opus fuit dictam Sacram Congregationem Reſolutionibus, Litteriſque tam ad Epiſcopum, quàm ad Gubernatorem datis ad hujuſcemodi dirimendas Controverſias, vel Pontificias Conſtitutiones explican-

do, vel quam habet pro utilitate S. Domus novas condendi Leges facultatem exercendo, ſedulam operam navaſſe. Sed nunquam litibus videbatur aditus eſſe præcluſus, quùm ſummo Univerſalis Eccleſiæ bono, Divino afflante Spiritu BENEDICTUS XIV. Maximus nobis Pontifex eſt datus. Is, qui ab inito Pontificatu beatam Pacem Eccleſiæ reddere, in animum induxit ſuum, huic malo convenientia propoſuit, qua eſt perſpicaciâ in omnibus, prudentiâque, pharmaca adhibere, ne amplius in S. Domum hæc lues diſſentionum graſſaretur. In primis igitur ipſe, XXXIII. novis Dubiis Juriſdictionalibus inter partes jam concordatis, omnibus hinc inde rationibus magno ſtudio priùs, ſeduloque expenſis, congruam dedit ſolutionem: deinde tam Dubia, quàm Reſolutiones, nec non quas ſupra memoravi Sacræ Congregationis Lauretanæ Reſolutiones, & Litteras in unum juſſit colligi, ex iiſque Synopſin Alphabetico ordine digeſtam, Typis vulgari, ut per eam Quæſtiones hujuſmodi Juriſdictionales poſſent tandem, ſi non penitus, majori ſaltem ex parte exſtingui.

Hoc quidem factum eſt, Lector, ut vides, in præſenti Volumine. Primum tibi in eo proponitur Alphabetica Synopſis perſpicuè, & miro ordine digeſta: deinde BENEDICTI XIV. Con-

Conſtitutio, qua Synopſi vis Legis tribuitur: Tertio loco Dubia XXXIII. (quibus trigeſimum quartum additur noviſſimè a Summo Pontifice enodatum) cum ſuis Reſolutionibus: Et poſtremo Pauli V., & Innocentii XII. Conſtitutiones, quarum illa quidem quoad exemptionem S. Domus ab Epiſcopo, ſecunda verò integrè in omnibus ſuis partibus confirmatur in Conſtitutione BENEDICTI XIV.

Cæterum quod ſub tanti Pontificis Auſpiciis cuncta feliciter procedant, lites componantur, Juſtitia ut decet adminiſtretur, non miraberis, Benigne Lector, poſtquam illum omnibus eſſe Virtutibus excultum pernoveris. Longos igitur illi Chriſtianæ Reipublicæ incremento annos a DEO Opt. Max. adprecare. Tu interim Vale.

Romæ ad v. Idus Februarias an. MDCCXLIII.

INDEX

INDEX.

Præfatio. pag. IIII.
Synopſis Alphabetica. 1.
Conſtitutio Sñi Domini Noſtri BENEDICTI XIV. *incipiens* Humilitatis Noſtræ, *qua confirmatur præcedens Synopſis, edita die* IX. *Januarii currentis Anni.* 21.
Riſoluzioni, e Lettere della Sagra Congregazione Lauretana, eſtratte da' ſuoi Regiſtri. 33.
Dubia XXXIII. *jam concordata inter Epiſcopum, & Gubernatorem, atque a Sanctiſſimo Domino Noſtro* BENEDICTO XIV. *reſoluta, unà cum Reſolutionibus.* 85.
Dubium XXXIV. *noviſſimè ab eodem Pontifice deciſum.* 96.
Conſtitutio S. M. Pauli V. incipiens Divinâ diſponente. 97.
Conſtitutio S. M. Innocentii XII. incipiens Sacroſancta Redemptionis Humanæ Myſteria. 133.

SYNO-

SYNOPSIS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGR. LAURETANÆ
ET XXXIII. DUBIORUM
PER SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM
BENEDICTUM XIV.
DECISORUM
Super Controverſiis Juriſdictionalibus
INTER
EPISCOPUM, ET GUBERNATOREM
LAURETANOS

Juſſu ejuſdem Summi Pontificis Alphabetico ordine digeſta,
Pontificiaque Auctoritate Confirmata.

SYNOPSIS LAURETANA.

Administratio Bonorum, Pecuniarum, &c.

Administratio Bonorum, Pecuniarum, aliorumque effectuum relictorum vel Capitulo, vel cuilibet de dicto Capitulo, vel Inservientibus Ecclesiæ, aut Altaribus, pro Cappellaniis, & Legatis Missarum, sive ad tempus, sive perpetuò, etiam de Jurepatronatus Laicorum, spectat ad ipsum Sanctuarium, & per ipsum ad Gubernatorem. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore.* 1. *Marzo* 1700., *e* 25. *Agosto* 1717.

Armorum Custodes.

Sex Armorum Custodes, vulgò *Armaroli*, sunt subjecti Parocho Almæ Domus, a quo ipsis Sacramenta sunt administranda. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore* 18. *Febr.* 1704.

Avunculi verò dictorum Armorum Custodum licet cohabitent cum Nepote, non sunt subjecti dicto Parocho Almæ Domus, cum non possint dici de Familia Nepotum exempta. *ibidem.*

Artifices, et Professores.

Artifices, & Professores quicumque inservientes Almæ Domui intra annum in eorum Professionibus, non tamen continuò, sed juxta Sanctuarii necessitatem, absque constitutione annui salarii,

licet Litteris patentalibus Almæ Domus cum inhibitione fuerint muniti, non gaudent exemptione a juriſdictione Epiſcopi *Dub*: 15. *ex* 33. *concordat*: *Anno* 1734.

ARX ECCLESIÆ.

Arx Eccleſiæ Lauretanæ exiſtens ſupra dictam Eccleſiam; ubi ſunt Manſiones Clericorum Sacriſtiæ, & Inſervientium Miſſarum, & Lampadariorum, non eſt ſub Ditione Epiſcopi, itaut poſſit ab eo viſitari jure ordinario quoad Clericos Sacriſtiæ, & dictos Inſervientes; quo verò ad Lampadarios jure delegato. *Dub.* 6. *ex* 33.

Janua dictæ Arcis erit omninò claudenda, ne Manſiones ejuſdem accomodentur, ut moris eſt, illis, qui confugiunt ad Eccleſiaſticam Immunitatem. *Ibidem ut ſupra*.

ADMINISTRATIO Sacramentorum. *Vide* Baptiſma, Euchariſtia.

AFFICTUARII. *Vide* Coloni exempti.

ALTARE Sanctiſſimi Sacramenti. *Vide* Viſitatio.

ALUMNI Collegii Illyrici. *Vide* Collegium.

BALDACHINUM.

Neque Epiſcopo, neque Gubernatori licet uti Baldachino intra limites Palatii Almæ Domus. *Reſolut.* 2. *Decembris* 1729.

BAPTISMA.

Baptizare Infantes Confluentium, & eorum Cadavera tumulari ſpectat ad Parochum Sanctuarii. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 2. *Decembre* 1717.

Parocho Sanctuarii ægrotanti licet ſui loco deputare Sacerdotem ſibi beneviſum, ex approbatis tamen ab Epiſcopo, pro adminiſtratione Sacramenti Baptiſmatis. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 24. *Agoſto* 1705.

Si contingat, Cappellano Almæ Domus cum Nepote convivente, Filiam ex ipſo Nepote naſci, baptizanda erit a Parocho dictæ

ctæ Almæ Domus, licèt Pater, & reſpectivè Nepos litteras patentales Epiſcopi haberet. Litteræ enim patentales Epiſcopi non poſſunt æquivalere Litteris patentalibus dictæ Almæ Domus. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 20. *Gennaro* 1740.

BONA. *Vide* Adminiſtratio Bonorum.

BREVE pro aperienda Capſula Eleemoſynæ. *Vide* Eleemoſynæ.

CAMPANARIUS, SEU PULSATOR NOLARUM.

Ad Epiſcopum uti Delegatum ſpectat privativè ordinatio pulſandi Campanas pro ſigno canendi Litanias in quocumque Sabatho de ſero, & in quacumque Feſtivitate B. M. V., & earum Vigiliis. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 6. *Settembre* 1698. *Reſol. ad Dub.* 5. 17. *Aprilis* 1708.

Licet autem Epiſcopo in parte Palatii, ubi reſidet apud Lauretum, uti Campanulâ ad uſum proprium tantùm. *Reſolut.* 2. *Auguſti* 1729.

Qui habent Officia Almæ Domus, ſed ea exercent per interpoſitas Perſonas, veluti Pulſator Nolarum, Cantinerius, & ſimiles, frui debent exemptione tam ipſi, ut Officiales, quàm eorum Subſtituti, dummodò facultas exercendi per ſubſtitutum fuerit a Sacra Congregatione approbata. *Dub*: 17. *ex* 33.

CANCELLARIA, CANCELLARIUS.

Epiſcopus procedens jure delegato, debet uti Cancellario Sanctuarii, nec ſufficit, ſi emolumenta omnia, quæ aliàs ad ipſum ſpectarent, ipſi relinquat. *Lettera a Monſignor Governatore li* 16. *Maggio* 1701., *& Dub*: 7. *ex* 33.

Epiſcopus aliquando, & attentâ aliquâ ſuſpicione, poterit, præviâ licentiâ Sacræ Congregationis Lauretanæ, in cauſis contra Privilegiatos Almæ Domus uti ſuo Cancellario in examinandis Teſtibus pro ſumendis, & captivandis indiciis, dummodò tamen dicta examina Teſtium reproducantur per acta Cancellariæ Almæ Domus, antequam Reus conſtituatur, & Proceſſus per eadem Acta Cancellariæ Almæ Domus proſequatur. *Let-*

tere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore 28. *Febraro* 1701. *Dub*: 8. *ex* 33.

Item poterit Cancellarius Almæ Domus compelli ab Epiſcopo ad conficiendum Inventarium omnium Proceſſuum, Beneficialium, Matrimonialium, Civilium, & Criminalium, Actorum, & aliarum Scripturarum factarum, & reſpectivè exhibitarum in dicta Cancellaria coram Epiſcopo tanquam Delegato Apoſtolico, vel ejus Vicario ad effectum aſſervandi dictum Inventarium in Archivio Epiſcopali ad formam noviſſimi Concilii Romani, & Conſtitutionis Benedicti XIII., & in caſu renitentiæ compellendus erit a Sacra Congregatione. *Dub*: 10. *ex* 33.

Epiſcopus verò tenetur regiſtrare in Cancellaria Almæ Domus tam Ordinationes Exemptorum, quàm eorum Litteras teſtimoniales. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 11. *Mar.* 1704.

CANDELÆ, CERA.

Benedictio Candelarum in Solemnitate Purificationis eſt facienda, juxta ſolitum, in Eccleſia Lauretana, non autem in S. Cappella. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 28. *Gennaro* 1720.

Quando in Eccleſia Lauretana de ordine Epiſcopi fit Communio Generalis, vel fit aliqua Proceſſio, aut Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti ad implorandum Divinum Auxilium pro neceſſitatibus Populi, vel Eccleſiæ Catholicæ, debent a Miniſtris Almæ Domus ſubminiſtrari Ceræ, & alia neceſſaria pro ſupradictis Functionibus explendis. *Dub*: 2. *ex* 33.

CANTORES, MUSICI, MAGISTER CAPPELLÆ, ORGANISTA.

Muſicis, & Cantoribus ſe abſentare petentibus a ſervitio Eccleſiæ ab breve tempus, ob aliquod eorum negocium, concedenda eſt licentia ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali jure delegato, non autem a Gubernatore. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698., *e* 28. *Giugno* 1700. *Dub*: 4. *ex* 33.

Ad

Ad Epiſcopum pariter privativè quoad Gubernatorem, ſpectat præſcribere Ordines Magiſtro Cappellæ, Cantoribus, & Organiſtæ circa ſervitium Chori, & Functionum Eccleſiaſticarum. *Dub*: 5. *ex* 33.

A Gubernatore verò danda eſt poſſeſſio Magiſtro Cappellæ, & Organiſtæ poſt eorum deſtinationem, in ſequelam Litterarum patentalium, quas ipſe de mandato Sacræ Congregationis expedire ſolet. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore*, 28. *Febraro* 1701. *Vide* Punctaturæ.

CAPPELLANUS, CAPPELLANIA.

Cappellanus Vivaldus eſt ſubjectus unà cum Fratre, & tota Familia ſecum vivente Parocho Almæ Domus. *Reſol.* 19. *Septembris* 1710.

Inſtitutio Præſentato ad Cappellaniam Domus Farſettæ reſervata tempore Fundationis Cardinali Protectori, ſpectat ad Sacram Congregationem. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 19. *Decembre* 1710.

Epiſcopo competit facultas ingrediendi in Sac. Cappellam cum Mozzetta, & Rocchetto detecto, necnon benedicendi Populo jure delegato. *Reſol*: 10. *Julii* 1731.

Non licet autem ipſi Epiſcopo die Præſentationis B. M. V., & aliis diebus, quibus Miſſa cantari ſolet in Sacra Cappella, illam canere in Eccleſia. *Lettere a Monſignor Veſcovo* 28. *Novembre* 1701. 10. *Gennaro* 1702.

Cappellanus poſſeſſor Cappellaniæ Micucci, cujus nominatio ſpectat ad Ven. Societatem Sanctiſſimi Roſarii Laureti, Epiſcopo ſubjectam, gaudet exemptione, ex quo deſtinatos proventus prædictæ Cappellaniæ recipit ab Alma Domo uti hærede ſupradicti Micucci. *Dub*: 21. *ex* 33.

CARCERES.

Perſonæ, quæ carcerantur de mandato Epiſcopi, vel ejus Vicarii procedentis jure delegato, detineri debent in Carceribus Al-

mæ

mæ Domus ad excluſionem illarum ipſius Curiæ Epiſcopalis. *Dub*: 9. *ex* 33.

CAUSA.

Non poteſt Gubernator, attento privilegio Sanctuarii, trahendi ad ſuum Tribunal omnes cauſas tam activas, quàm paſſivas ejuſdem Almæ Domus, procedere in Cauſis activis motis a Miniſtris, & Exemptis Almæ Domus contra Eccleſiaſticos non privilegiatos; id autem ſpectat ad Epiſcopum jure ordinario. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Marzo* 1700. *Reſol.* 10. *Luglio* 1731. *Dub.* 25. *ex* 33.

Quo verò ad Cauſas tàm activas, quàm paſſivas, in quibus agitur de intereſſe Almæ Domus, ſpectare debent privativè ad Gubernatorem. *dict. Dub.* 25. *ex* 33.

Spectat autem ad Epiſcopum, jure tamen delegato, cognoſcere Cauſas activas motas a Miniſtris, & exemptis Almæ Domus contra Eccleſiaſticos privilegiatos, niſi agatur de iis, quæ reſpiciunt eorum Miniſterium, in quibus ſubeſſe debent Gubernatori. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Marzo, e* 26. *Aprile* 1700.

Inſtantia Cherubinorum, & Fratrum Alexandrinorum petentium, eorum Cauſam contra Sanctuarium coram Epiſcopo agitatam, & a Gubernatore reaſſumptam, iterum committi Epiſcopo, aut pro ea deputari Judicem in Curia Romana, rejecta fuit, ne inferretur præjudicium privilegiis ejuſdem Sanctuarii. *Lettera a Monſignor Governatore* 11. *Maggio* 1699.

COADJUTORES.

Coadjutores Officialium Almæ Domus gaudent & ipſi exemptione, dummodò Coadjutoria fuerit a Sacra Congregatione approbata. *Dub.* 18. *ex* 33.

COLLEGIUM ILLYRICORUM.

Conceſſio Dimiſſorialium Alumnis Collegii Illyrici, & reliqua omnia

nia concernentia eorum ordinationem, ſpectat privativè ad Epiſcopum. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore 9. Febraro 1699.*

Quoad Convictores verò ejuſdem Collegii Epiſcopus procedit jure ordinario. *Lettera a Monſignor Governatore 30. Agoſto 1700.*

Ordinatio Alumni dicti Collegii eſt etiam licita, non obtentis Litteris Dimiſſorialibus Epiſcopi Lauretani. *Lettera a Monſignor Veſcovo 4. Aprile 1709.*

CONCURSUS.

Concurſus pro Cura Almæ Domus committitur per Sacram Congregationem Epiſcopo, & firmatur, Curatum eſſe perpetuum, & non ad nutum amovibilem. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore 28. Giugno 1700.*

Intimatio Concurſus pro Eccleſia Parochiali Almæ Domus facienda eſt ab Epiſcopo jure delegato, & Acta Concurſus tranſmittenda ad Sacram Congregationem. *Lettera a Monſignor Veſcovo 29. Ottobre 1729.*

Concurſui tamen non eſt neceſſe, quod Delegatio & inſeratur; & indicetur peculiariter, cum habeatur vigore Bullæ. *Reſol: 20. Decembris 1729.*

Acta Concurſus Parochialis referuntur in Sacra Congregatione; & per Vota fit electio. *Reſol: 29. Decembris 1729.*

CONFIRMATIO.

Epiſcopus, qui Sacramentum Confirmationis conferre poteſt ſubditis ordinario jure, exemptis verò delegato, ad hoc ut dicti ordinarii, & delegati juris differentia eluceſcat, declarare debet in actu Collationis per Acta Cancellariæ Gubernii, quoad Exemptos ſe procedere jure delegato: non tenetur tamen Exemptorum Nomina deſcribere in dicta Cancellaria. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore 24. Agoſto 1705.*

CONFLUENTES.

Expreſſione Confluentium a qualibet Mundi parte devotionis gratiâ ad Almam Domum, qui juxta litteram Conſtitutionis Innocentianæ §. *Ac primo quidem*, a juriſdictione Epiſcopi eximuntur, non comprehenduntur illi, qui petunt Lauretum propter eorum temporalia negotia, vel in dicta Civitate remanent ultra decem dies. *Lettera a Monſignor Governatore*, 8. *Gennaro* 1738. *Dub*: 13. *ex* 33.

Hinc Confluentes illi, qui a Birruariis Epiſcopalibus apprehenduntur cum Mulieribus ſuſpectis, Fures, aliique quomodolibet, gaudent privilegio confluentiæ, dummodò captura ſequatur intra decem dies ab illorum adventu. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 8. *Ottobre* 1713. *Dub*: 14. *ex* 33.

Quoad dictos tamen Delinquentes Conſcientia Gubernatoris oneratur eos puniendi prout de jure; additis pœnis arbitrio Sacræ Congregationis, & Summi Pontificis in caſu omiſſionis *d. Dub*:14. *ex* 33. *Cætera Vide* Licentiæ.

CONSTITUTIO.

Conſtitutio Sa: mem: INNOCENTII XII. nihil innovat quoad juriſdictionem privativam in Conſtitutione Sa: mem: PAULI V. conceſſam Gubernatoribus in Cauſis activis, & paſſivis Sanctuarii contra Debitores, & Poſſeſſores bonorum ipſius Sanctuarii. *Lettera a Monſignor Governatore* 7. *Agoſto* 1699.

MINORES CONVENTUALES.

Quatuor ex Patribus Minoribus Conventualibus, qui ſunt Cappellani addicti ſervitio Sanctuarii ex gratia ipſis conceſſa a clar: mem: Cardinali Alterio Protectore, juxta Conſtitutionem Sa: mem: PAULI V., ſubſunt ſolum delegatæ Juriſdictioni Epiſcopi. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 3. *Ottobre* 1702.

Nomi-

Nomina tamen dictorum quatuor Patrum, & aliorum Regularium ſimilibus Cappellaniis fruentium, ſcribenda ſunt in Rollo, & in Tabella, ſicuti Nomina cæterorum Cappellanorum, & hoc ita ut uno ex ipſis quomodolibet deficiente, Nomen alterius in ipſius locum ſubrogati, deſcribatur. *Ibidem ut ſupra.*

S. Crucis Lignum.

Lignum S. Crucis, quod ſervatur in Cappella, occaſione alicujus particularis Proceſſionis ab Epiſcopo indictæ, ſubminiſtrari debet, ad effectum illud exponendi in Altari Sanctiſſimæ Annunciationis, illudque proceſſionaliter deferendi per Civitatem, & cum illo Populum benedicendi. *Dub.* 2. *ex* 33.

Custodes.

Cuſtodes omninò obedire tenentur ſine ulla exceptione licentiis ab Epiſcopo conceſſis Confluentibus, & Diœceſanis ſe muniendi Euchariſtia in Sacra Cappella, & Epiſcopo conceditur facultas procedendi contra ipſos inobedientes, & creſcente contumaciâ, ab officio removendi; hac tamen adjecta lege, quod ante remotionem, de voluntate Epiſcopi ſuper hoc certior reddenda ſit Sacra Congregatio. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 19. *Novembre* 1699., *e* 28. *Giugno* 1700.

Cæremoniæ. *Vide* Miſſa.

Cantinerius. *Vide* Campanarius.

Concursus. *Vide* Edicta.

S. Congregatio. *Vide* Juriſdictio, Solitum, Sede vacante.

Curatus. *Vide* Parochus, Concurſus, Edicta.

Custodes. *Vide* Licentiæ.

Deputatio.

Deputatio trium Cuſtodum Sacræ Cappellæ, duorum Sacerdotum Lampadariorum, duorum Miniſtrorum Cappellæ Sanctiſſimi Sacramenti, Miniſtrorum Sacriſtiæ, ubi ſubminiſtratur Vinum, &

Cera pro celebratione Miſſarum in Eccleſia Cathedrali, Campanarii, & Servientis pro pulſatione Campanarum tam pro Sacra Cappella, quàm pro Eccleſia Cathedrali, ſpectat privative ad Sacram Congregationem. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698.

DIMISSORIALES.

Litteræ Dimiſſoriales Cappellanis, & Miniſtris Sanctuarii concedendæ ſunt ab Epiſcopo jure delegato. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Marzo* 1700

Gubernator verò debet in dictum finem exhibere Cancellariæ Epiſcopali notulam Cappellanorum, & Privilegiatorum. *Ibidem ut ſupra*.

DEBITORES SANCTUARII. *Vide* Conſtitutio.

DIMISSORIALES. *Vide* Collegium Illyricorum, Licentiæ.

EDICTA.

Edicta ſuper obſervatione Feſtorum ſunt ex juribus Epiſcopi ordinariis quoad Subditos, quoad Exemptos verò ſunt juris delegati. *Lettera a Monſignor Governatore* 2. *Ottobre* 1703.

Si in Edictis non exprimatur authoritas delegata, non obligant Curatum Almæ Domus. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 1. *Decembre* 1704.

Edictum pro convocatione Concurſus Eccleſiæ curatæ Almæ Domus faciendum eſt ab Epiſcopo jure delegato, & per acta Cancellarii Almæ Domus. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 28. *Febraro* 1701.

Epiſcopus neque uti Delegatus valet, inconſultâ Sacrâ Congregatione, Edicta affigere in Sacrario Sacræ Cappellæ nuncupato *La Sagreſtia del Teſoro* circa concernentia decentiam Sacrificii, tempus celebrandi, & ſimilia. *Reſol. ad Dub.* 4. 17. *Aprilis* 1708.

ELE-

ELEEMOSYNÆ.

Ad formam Bullæ Innocentianæ, ſpectat ad Gubernatorem aperire Capſulas Eleemoſynarum, & ad ipſum dirigendum eſt Breve pro facultate ipſas aperiendi. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 20. *Decembre* 1700.

SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

Ad formam Bullæ Pauli V. competit Epiſcopo facultas adminiſtrandi Populo, quotieſcumque voluerit, Sanctiſſimam Euchariſtiam ab Altari Sanctiſſimi Sacramenti. *Reſol. ad Dub.* 2. 18. *Agoſto* 1727.

Debet tamen idem Epiſcopus ad evitandas confuſiones ſuper hoc verbum facere cum Gubernatore. *Reſol.* 24. *Luglio* 1711.

ECCLESIASTICI. *Vide* Cauſæ.

EXEMPTI, EXEMPTIO. *Vide* Cappellanus, Cauſæ, Ordines, Status liber.

EXSTRACTIO a Loco immuni. *Vide* Immunitas.

FAMILIÆ. *Vide* Exemptio.

EXEMPTIO.

Miniſtri, & gaudentes Litteris patentalibus Sanctuarii uni tantùm Famulo exemptionem participare valent. *Lettera a Monſignor Governatore* 14. *Luglio* 1705. *& Dub.* 11. *ex* 33.

Piſtores conficientes Panem in Civitate Laureti pro Inſervientibus Almæ Domui, hoc eſt, qui panem conficiunt, quem Alma Domus Inſervientibus facit diſtribuere, gaudent exemptione; Non gaudent verò qui conficiunt Panem venalem ad uſum publicum, & propriam utilitatem. *Dub.* 24. *ex* 33.

Familiæ Servitorum, & Famulorum, qui inſerviunt Miniſtris, Officialibus, aliiſque Privilegiatis, non gaudent dictâ exemptione. *Dub.* 11. *ex* 33.

Neque Famuli, aliique Inſervientes Patentatis Sanctuarii in Cauponis, & Apothecis. *Dub.* 19. *ex* 33.

Neque commorantes continuò in Civitate Lauretana, & habentes Litteras patentales Quæſtuatorum, Denunciatorum Legatorum piorum Sanctuarii, & ſimilium in eorum Patriis ab eadem Civitate diſtantibus. *Dub.* 20. *ex* 33.

Neque Coloni, & Affictuarii pro tempore exiſtentes in Prædio ſito in Territorio Lauretano ſpectante ad Ven. Societatem S. Annæ Recineti tanquam Emphyteutæ Almæ Domus. *Dub.* 22. *ex* 33.

Neque Coloni, & Affictuarii Ven. Societatis Laureti exiſtentes in Prædio, quod ipſa Societas poſſidet uti Emphyteuta Almæ Domus. *Dub.* 22. *ex* 33.

EXERCITIA SPIRITUALIA.

Occaſione Exercitiorum Spiritualium conceſſa fuit Epiſcopo a Sacra Congregatione facultas exponendi Sanctiſſimum Sacramentum primâ, & ſecundâ Dominica Quadrageſimæ in Altari Sanctiſſimæ Annunciationis, & cum eodem benedicendi Populum. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 7. *Febraro* 1728.

GABELLA.

Clerico Petro Philippo Riccardi convento a Gabellario Laureti pro Gabella Vini, decretum fuit, Cauſam ſpectare ad Epiſcopum, ipſique Epiſcopo injunctum, ut Sacram Congregationem ſuper hoc inſtructam redderet. *Lettera a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 10. *Luglio* 1699.

HOSPITALARII.

Hoſpitalarii Hoſpitalis directi a Confratribus Sanctiſſimi Sacramenti non ſpectantis ad Sanctuarium, ſubſunt ordinariæ Juriſdictioni Epiſcopi. *Lettera a Monſignor Governatore* 18. *Febraro* 1704.

IM-

IMMUNITAS, SEU LOCA IMMUNIA.

Si contingat, Furtum committi in Sacra Cappella, & Furem confugere ad Loca immunia, extractio dicti Furis a dictis Locis immunibus ſpectat ad Epiſcopum, in reliquis procedit Gubernator. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698., *e* 23. *Febraro* 1732.

JURISDICTIO.

Epiſcopus vigore Bullæ Innocentianæ eſt Delegatus perpetuus, nec eſt adſtrictus pro exercitio Juriſdictionis delegatæ recurrere ad Sacram Congregationem, ſalvâ tamen Superioritate ipſius Congregationis, & ſalvâ obedientiâ ab Epiſcopo eidem debitâ ad tramites ejuſdem Bullæ. *Dub.* 32. *ex* 33.

Juriſdictio in Cauſis Civilibus Militum ſubjectorum in Civilibus, & Criminalibus Gubernatori competit Epiſcopo cumulativè cum Gubernatore. *Lettera a Monſignor Governatore* 8. *Gennaro* 1738.

Juriſdictio Cappellæ Sanctiſſimi Sacramenti deſtinatæ ad ſolam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ adminiſtrationem, non ſpectat privativè ad Epiſcopum. *Dub.* 3. 17. *Aprilis* 1708.

INVENTARIUM. *Vide* Cancellaria.

LIBRI.

Epiſcopo competit facultas viſitandi libros Baptizatorum, Deſponſatorum, & Defunctorum Parochi Almæ Domus ad formam Bullæ. *Reſol: ad Dub:* 4. 18. *Auguſti* 1727.

Non poteſt tamen idem Epiſcopus inſpicere libros, & inquirere circa adimplementum onerum Miſſarum, aliarumque Functionum Piarum. *Reſol: ad Dub:* 12. 17. *Aprilis* 1708.

LICENTIÆ.

Epiſcopo uti Delegato privativè competit licentias concedere Confluen-

fluentibus, & Diœceſanis ſeſe muniendi Euchariſtiâ in Sacra Cappella. *Dub.* 12. *ex* 33.

Et hoc etiam poſt diſceſſum trium Cuſtodum diſcedentium ab Eccleſia poſt abſolutum officium, id petentibus Confluentibus nobilioris conditionis. *Reſol. ad Dub.* 8. 17. *Aprilis* 1708.

Excepto tamen Gubernatore, ejuſque Familia. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698.

Competit etiam Epiſcopo eodem jure delegato approbare Dimiſſorias petentium licentiam celebrandi in dicta Cappella. *Reſol.* 13. *Februarii* 1731.

Licetque ulteriùs recognoſcere, an a Clericis, qui præſunt Sacriſtiæ dictæ Cappellæ paritum ſit licentiæ a ſe impertitæ. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698.

Horam verò, & tempus aſſignare competit Miniſtris Sanctuarii. *Reſol:* 13. *Februarii* 1731.

Ad Gubernatorem privativè ſpectat impertiri licentiam tam Confluentibus, quàm Diœceſanis ingrediendi in parva Sacra Cappella, ſeu Camino; *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698.

Pro cantandis Miſſis extraordinariis in Sacra Cappella cum invitatione Capituli, & Cleri non debet præcedere licentia, vel aſſenſus Epiſcopi, antequàm invitetur Capitulum; non poteſt tamen id peragi, nullâ requiſitâ dicti Epiſcopi licentiâ. *Reſ: ad Dub:* 11. 17. *Aprilis* 1708. Cœtera *Vide* Cantores, & Cuſtodes.

MISSA.

Epiſcopo auſcultanti Sacrum in Altari Sanctiſſimæ Annunciationis, vel in eo Sanctiſſimi Sacramenti, uti Delegato Apoſtolico, ſervari debent a Cappellanis Almæ Domus cæremoniæ ſervari ſolitæ in Miſſis, quæ celebrantur coram Epiſcopo in ſua Diœceſi: eadem pariter ſervari debent ab Inſervientibus, & ſignanter circa Evangelium porrigendum Epiſcopo ad oſculandum. *Dub:* 1. *ex* 33. *Vide* Cappella.

MINISTRI. *Vide* Cauſa, Deputatio, Exemptio, Synodus.

MONS PIETATIS. *Vide* Viſitatio.

MAGISTER CAPPELLÆ, MUSICI. *Vide* Cantores.

OF-

OFFICIALES.

Epiſcopus, ſive ejus Vicarius Generalis procedens jure delegato tàm in Cauſis Civilibus, quàm in Criminalibus contra Privilegiatos Almæ Domus, tenetur uti Officialibus ipſius Almæ Domus, ad excluſionem illorum ſuæ Curiæ Epiſcopalis. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698. *Dub*: 7. *ex* 33.

ORDINES.

Epiſcopo non licet ordinare authoritate delegatâ Exemptos Almæ Domus extra Eccleſiam Lauretanam. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 11. *Marzo* 1704. *Dub*: 10. *ex* 33.

Et ſervanda ſunt ab ipſo omnia, ex quibus dignoſci poſſit, in Ordinatione proceſſiſſe jure delegato. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 9. *Settembre* 1719.

ORDINATIONES. *Vide* Cancellaria, Collegium Illyricorum.

PARAMENTA.

Epiſcopo, juxta Conſtitutionem Sa: mem: Pauli V., debetur uſus Paramentorum Eccleſiaſticorum, in ſuo Sacrario ſeparato aſſignandorum. *Dub*: 31. *ex* 33.

Non valet tamen ipſis Paramentis uti etiam in Functionibus explendis in Diœceſi Lauretana. *Ibidem*.

Neque licet Epiſcopo uti Sacris Suppellectilibus Almæ Domus tempore Viſitationis, & ad mentem = Mens autem fuit, quod ſcriberetur Gubernatori, ut ratione urbanitatis ipſas ſuppellectiles tribueret dicto tempore. *Reſol.* 13. *Februarii* 1731.

Epiſcopo pro devotione ſua celebrare volenti privatè in Sacra Cappella, aut ſolemniter in Eccleſia cum Paramentis ab R. P. D. de Carolis donatis, & a Summo Pontifice benedictis, dicta Paramenta a Gubernatore ſubminiſtranda ſunt. *Lettera a Monſignor Governatore* 28. *Gennaro* 1720.

PARO-

PAROCHUS.

Functiones Parochiales in matrimonio contracto inter privignam Subſtituti Montis Almæ Domus, & Famulum Hoſpitalis Sanctuarii ſpectant ad Parochum ejuſdem Sanctuarii. *Reſol:* 14. *Septembris* 1722.

Adminiſtratio Sacramentorum, & tumulatio Cadaverum Sororis Aromatarii, Matris Muſici, & Matris Curati Sacræ Cappellæ, conviventium in eadem Domo cum iiſdem reſpectivè Officialibus, prævia revocatione contrariarum reſolutionum, firmatum fuit, ſpectare ad Parochum ejuſdem Sanctuarii. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 10. *Gennaro* 1702.

Proclamationes Matrimonii Filiæ Promontiſtæ Sanctuarii, reſolutum fuit, faciendas eſſe a Parocho ipſiuſmet Sanctuarii; probationem verò Status liberi Contrahentium per Acta Cancellariæ Almæ Domus, attento quod Promontiſta eſt Miniſter dictæ Almæ Domus, ideoque Filia eſt de Familia exempta juxta Conſtitutionem Sa. Mem. Pauli V. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 16. *Gennaro* 1703.

Proclamationes, & exhibitio Fidei Status liberi Mulieris conviventis cum Fratre, qui non eſt Operarius ſtabilis, ſed in dies conductus a Fabro lignario Almæ Domus, ſpectant ad Parochum Epiſcopalem: Mareſchalli verò dictæ Almæ Domus ſpectant ad Parochum Sanctuarii. *Lettere a Monſignor Veſcovo, ed al Paroco della Santa Caſa* 1. *Febraro* 1721.

Declarata fuit nulla, & attentata tumulatio Cadaveris Filii Piſtoris habentis Litteras patentales Almæ Domus, facta per Parochos Epiſcopales de licentia Vicarii itidem Epiſcopalis, pendente inhibitione quoad hoc de nihil innovando, & demandata fuit reſtitutio emolumentorum Parocho Almæ Domus. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 3. *Luglio* 1737.

Confluentibus Peregrinis, & Forenſibus, intra decem dies eorum adventus ad Almam Domum, adminiſtranda ſunt Sacramenta per Parochum Almæ Domus, & funera peragenda. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 29. *Maggio* 1737. Cætera *Vide* Baptiſma, Armorum Cuſtodes.

PON-

PONTIFICALIA.

Epiſcopo Buſſi conceſſa fuit ex gratia a Sacra Congregatione, die ſolemnis ſui ingreſſus facultas exercendi Pontificalia ad Altare Sanctiſſimæ Annunciationis. *Reſol. ad Dub. I.* 18. *Auguſti* 1727. Cætera *Vide* Solitum.

PRADELLA.

Nihil eſt innovandum quoad Pradellam; qua utitur Gubernator dum aſſiſtit Sacris Functionibus prope Altare Sanctiſsimæ Annunciatæ. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 11. *Febraro* 1711. *Dub.* 27. *ex* 33.

PRÆVENTIO.

In captura Philippi Angeli Palmerii reſolutum fuit, Gubernatorem fuiſſe ab Epiſcopo præventum, & ideo confectionem Proceſſus ad eundem Epiſcopum ſpectare, & Reum ipſius Curiæ Epiſcopalis Carceribus eſſe tradendum. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 10. *Luglio* 1699.

PUNCTATURÆ.

Epiſcopus jure delegato tantùm poteſt cogere Cantores ad retinendum Librum Punctaturarum, illaſque ſolvendum in caſu deficientiæ, ut practicatur in Patriarchalibus Urbis. *Dub.* 16. 17. *Aprilis* 1608.

PECUNIÆ. *Vide* Adminiſtratio Bonorum.

PEREGRINI. *Vide* Confluentes.

PISTORES PANIS. *Vide* Exempti.

POSSESSORES Bonorum Sanctuarii. *Vide* Conſtitutio.

PROCESSIO. *Vide* Candelæ, Lignum S. Crucis, Vicarii.

PROCLAMATIONES. *Vide* Parochus.

SEDE VACANTE.

Vacante Sede Lauretana, Sacra Congregatio ſubdelegat Vicarium Capitularem in concernentibus gubernium Spirituale Almæ Domus, ſecluſo Gubernatore. *Lettera a Monſignor Governatore* 19. *Aprile* 1727.

Semeſtre Scutorum viginti, quod Sanctuarium perſolvit Epiſcopo partim pro ſtabulo, partim pro Coquina, decurſum, Sede Epiſcopali vacante, non debetur novo Epiſcopo. *Reſol:* 2. *Auguſti* 1729.

SOLITUM.

Solitum ſemper ſervandum eſt, & ſi aliqua prætenſio inſurgat, antequam quidquam innovetur, exhibenda eſt Sacræ Congregationi, & ejus reſolutio expectanda. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 28. *Novembre* 1701.

Solitum item ſervandum eſt quoad celebrationem Miſſarum in Pontificalibus ab Epiſcopo apud Altare SSmæ Annunciationis.

Epiſcopo non licet, poſtquam Pontificaliter celebravit primas Veſperas Sanctiſſimæ Circumciſionis Domini, incedere cum Veſtibus Pontificalibus, Paſtorali, & Mitra, contra ſolitum, ad incenſandum Altare Sanctiſſimæ Annunciationis, & Imaginem B. Virginis in Sacra Cappella. *Lettera a Monſignor Governatore* 10. *Gennaro* 1733.

STATUS LIBERI FIDES.

Probatio Status liberi unius Fratris, qui aliunde habet unde vivat; licèt ſit Socius Menſæ duorum aliorum Fratrum exemptorum, facienda eſt coram Epiſcopo jure ordinario. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 1. *Marzo* 1700.

SYNODUS.

Licet Epiſcopo occaſione convocationis Synodi vocare ad ſe Eccleſia-

cleſiaſticos privilegiatos Almæ Domus, tam ad Concilium, quam ad reliquos actus neceſſarios pro explenda dicta Synodo, eodem modo, quo ſe gerit reſpectu ſuorum ſubditorum. *Dub*: 28. *ex* 33.

Licet etiam facultate delegata renuentes debitis pœnis compellere. *Ibidem*.

Econtra verò occaſione Synodi promulgandæ in Eccleſia Lauretana, non tenentur Almæ Domus Miniſtri ſubminiſtrare ea omnia, quæ neceſſaria ſunt pro promulgatione. *Dub*: 29. *ex* 33.

SACRAMENTA. *Vide* Parochus.

SACRARIUM. *Vide* Edicta.

SUPELLECTILES Sacræ. *Vide* Paramenta.

TUMULATIO Cadaverum. *Vide* Parochus.

VICARIUS GENERALIS.

Vicarius Epiſcopi in his, quæ reſpiciunt exercitium Juriſdictionis delegatæ, non debet procedere uti Subdelegatus Apoſtolicus, ſed uti Subdelegatus Epiſcopi. *Dub*: *ultimo ex* 33.

Licet Vicariis Generalibus Laureti, & Recineti proceſſionaliter cum Capitulis ambarum Civitatum ad Almam Domum in Feſtivitate Sanctiſſimæ Annunciationis, vel alia die non impedita ingredi in Sacram Cappellam indutis Mantellettâ ſupra Rocchettum, dummodò habeant privilegium utendi dd. Mantellettâ, & Rocchetto. *Dub*: 3. *ex* 33.

VISITATIO.

Epiſcopo competit facultas viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum in ejus Altari, ad effectum recognoſcendi, an aſſervetur debitâ decentiâ, ac veneratione. *Dub*: 3. 18. *Auguſti* 1727.

Item viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum, quod aſſervatur in Hoſpitali ejuſdemmet Almæ Domus, ac recognoſcendi libros, in quibus notantur Infirmi, & Defuncti ejuſmet Hoſpitalis, ibique facere abſolutionem Defunctorum occaſione ſuæ Viſitationis. *Dub*: 5. *ut ſupra*.

Non poteſt autem jure delegato Epiſcopus viſitare Montem Pietatis, ad ſolum effectum inquirendi, & recognoſcendi, an adimpleantur Legata, & alia opera pia cum onere a Particularibus relicta. *Dub:* 7. 17. *Aprilis* 1708. Cætera *Vide* Arx Eccleſiæ.

VICARIUS Capitularis. *Vide* Sede Vacante.

CONSTITUTIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

Qua decernitur, ut præcedens

SYNOPSIS

Vim legis habeat; Inſimulque confirmantur Privilegia

ALMÆ DOMUI

Ab ejus PRÆDECESSORIBUS conceſſa, quæ tamen præſentibus non adverſentur.

BENEDICTUS
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

HUmilitatis noſtræ conſiderationem ad Sacrum Glorioſæ Virginis Habitaculum dirigentes, Apoſtolicæ ſollicitudinis zelo excitamur, ut omnem curam, ac ſtudium, quantum in Domino poſſumus, adhibeamus, ad quaſcumque diſſidiorum occaſiones procul a Loco Sancto ſubmovendas, ne unquam ibi diſcordiæ exoriri valeant, ubi Verbum Dei Deus, & Dei Filius, qui a Propheta Princeps Pacis cognominatus eſt, ad reconciliandum Deo Hominem in intemeratæ ejuſdem Virginis ſinu factus eſt homo. *Proœmium.*

Sanè poſtquàm plures Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri prædictam Sanctam Domum, olim Nazarenam, nunc verò Lauretanam nuncupatam, multiplici privilegiorum, gratiarum, indultorum, prærogativarum, & exemptionum conceſſione cumulaverant, ac ſignan- *Clemens VII. Caſtrum Lauretanum &c. Protectori S. Domus ſubjecit.*

gnanter felicis recordationis Clemens PP. VII. etiam Prædeceſſor Noſter, inter alia, Caſtrum Lauretanum, illiuſque Habitatores cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis curæ, gubernio, adminiſtrationi, & regimini cum mero, & mixto Imperio, ac poteſtate gladii Commiſſarii, ſeu Protectoris ejuſdem Sanctæ Domus ſubmiſerat, & demandaverat, ac ſubinde rec. mem. Sixtus PP. V. pariter Prædeceſſor Noſter Caſtrum Lauretanum prædictum in Civitatem, ac Sæcularem, & inſignem Collegiatam Eccleſiam inibi exiſtentem, eandemque Sanctam Domum magnificâ, atque eleganti Ædificiorum conſtructione circumdatam, atque exornatam in Cathedralem erexerat, deindeque piæ record. Paulus PP. V. ſimiliter Prædeceſſor Noſter ad ſuccidenda jam enata inter Epiſcopum Lauretanum, & Protectorem ipſius Sanctæ Domus Litium, & Controverſiarum germina, per quandam ſuam in perpetuum valituram Conſtitutionem, quæ incipit = Divina diſponente Clementia &c. ſub datum apud Sanctam Miriam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCXX. pridie Idus Julii Pontificatus ſui Anno XVI. editam, eidem Sanctæ Domui Lauretanæ ſolum, ſeu pavimentum Sancti Cubiculi, ſeu Sanctæ Cappellæ, quam circumcirca uſque ad Columnas, & Scalas incluſive contentum, in Territorium proprium, diſtinctum, & ſeparatum, nullius Diœceſis, in quo de cætero ſolus ejuſdem Sanctæ Domus Protector, pro tempore exiſtens, ejuſque Gubernator, privativè quoad Epiſcopum Lauretanum, etiamſi S. R. E. Cardinalis exiſteret, juriſdictionem omnimodam, & quaſi Epiſcopalem habere, & exercere poſſet, perpetuò conſtituerat, & aſſignaverat, ipſamque Sanctam Domum, ſeu Cappellam magnam, & parvam nuncupatam, ac pavimentum, & Territorium prædictum, ejuſque Gubernatorem, Officiales, Miniſtros, & quoſcumque alios tam Laicos, quàm Clericos, & Regulares eidem Sanctæ Domui, ſeu Cappel-

Sixtus V. ſupradictum Caſtrum in Civitatem, ac Collegiatam Eccleſiam, ſanctamque Domum in Cathedralem erexit.

Paulus V. Conſtitutione Divina favente clementia *Sanct. Domum, & pertinentia ab Epiſcopo exemit, ac Territorium nullius Diœceſis declaravit, eique Protectorem præfecit.*

pellæ, ejuſque Bonis quomodolibet inſervientes, necnon eorundem Officialium, Miniſtrorum, aliorumque Inſervientium Familias, & Famulos, & quoſcumque Peregrinos ad Sanctam Domum prælictam confluentes, ipſiuſque Sanctæ Domus Palatia, Ædificia, Poſſeſſiones, & Prædia quæcumque, ac reliqua Bona tam Mobilia, quàm Stabilia, & ſemoventia, ubicumque exiſtentia, Supellectilia etiam pretioſa, pecunias, eleemoſynas, Donationes, & quæcumque relicta, ab omni, & quacumque Epiſcopi Lauretani ſuperioritate, juriſdictione, dominio, ac poteſtate perpetuò, pleniſſimè, penituſque, & omninò exemerat, & liberaverat, ac ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ protectione ſpeciali ſuſceperat, omnimodamque juriſdictionem Eccleſiaſticam, & Spiritualem, ac quaſi Epiſcopalem in prædictam Sanctam Domum, ejuſque Territorium, Miniſtros, Officiales, alioſque Inſervientes, & Peregrinos, reſque, Bona, ac jura prædicta eidem pro tempore Protectori adjudicaverat, variis eidem Protectori, tam circa Vicarii Curati deputationem, quàm circa Litterarum dimiſſorialium conceſſionem, aliaque plurima privilegiis, & facultatibus attributis; Noviſſimè felicis pariter recordationis Innocentius PP. XII. Prædeceſſor quoque Noſter, providè attendens, ex hujuſmodi forma Regiminis ſperatam non proveniſſe utilitatem, quin potiùs experientiâ, & quamplurimum ad audientiam ejus perlatis recurſibus, & querelis edoctus, imminutâ nimis Epiſcopi Lauretani poteſtate, Eccleſiaſticam diſciplinam paulatim diſſolvi, Clerique, ac Populi mores, aucto Exemptorum numero, relaxari; Ad obviandum detrimentis hujuſmodi, per aliam ſuam itidem perpetuò valituram Conſtitutionem, quæ incipit = Sacroſancta Redemptionis humanæ myſteria = editam ſub datum apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCXCVIII., nonis Auguſti, Pontificatus ſui Anno VIII., eidem Sanctæ Do-

Innocentius XII. Conſtitutione Sacroſancta Redemptionis humanæ myſteria *S. Domus exemptionem ab Epiſcopo confirmavit.*

mui Territorium proprium, & ſeparatum, ac ab omni Ordinarii juriſdictione exemptum, & quaſi Epiſcopale in prædicta Pauli Prædeceſſoris Conſtitutione aſſignatum, confirmavit, & approbavit, idemque Territorium, unà cum omnibus prædictæ Sanctæ Domus Miniſtris, & Officialibus, aliiſque Perſonis ei quomodolibet inſervientibus, vel ad eam ex qualibet Mundi parte devotionis gratiâ confluentibus, ab omni, & quacumque Ordinarii prædicti juriſdictione iterum pleniſſimè, penituſque exemit; Et prædicto Protectoris, quod per obitum bon. mem. Palutii, dum vixit, Epiſcopi Portuen. S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati, tunc vacabat, Officio, Dignitate, titulo, & denominatione perpetuò ſuppreſſis, & extinctis, ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, & immediata protectione ſuſcepit. Omnem verò, & quamcumque juriſdictionem tam Eccleſiaſticam, & Spiritualem, ac quaſi Epiſcopalem, quæ in eandem Sanctam Domum, ejuſque Territorium, Officiales, & Miniſtros, Peregrinos, ac Bona prædicta, quàm Sæcularem, ſive Laicalem in Communitatem, Homines, & Civitatem Lauretanam, ejuſque Comitatum, atque Diſtrictum, Protectori pro tempore ejuſdem Sanctæ Domus quomodolibet competierat, quandoquidem ei Romani Pontifices, per ſe ipſos, Apoſtolicæ Servitutis onere prægravati, vacare nequibant, exercendam impoſterum ſtatuit, & mandavit per Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum, Lauretanam nuncupandam, quam ad hunc effectum erexit, & inſtituit, ac ſpecialiter deputavit. Eidemque Congregationi, ut ſemel, & pluries, ac quoties ſibi videretur, & placeret, quæcumque Statuta, & Ordinationes pro felici prædictæ Sanctæ Domus, ejuſque Bonorum, ac Perſonarum eidem inſervientium regimine, Sacris tamen Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non adverſantia, & ab omnibus, ad quos pertine-

Idem Protectoris officium ſuppreſſit, ſanctamque Domum ſub immediata S. Sedis protectione ſuſcepit;

Et Congregationi Lauretanæ juriſdictionem, quam Protectores exercebant, demandavit; eique facultates Statuta &c. condendi &c. conceſſit.

tineret, inviolabiliter obſervanda, condere, edere, & publicare, illaque mutare, alterare, corrigere, & emendare licitè poſſet, & valeret, conceſſit, & indulſit. Inſuper voluit, & mandavit, ut Congregatio prædicta in Spiritualibus quidem, quæ ſcilicet ad Eccleſiæ cultum, Chori ſervitium, Divinorum celebrationem, Animarum curam, Sacramentorum adminiſtrationem, morum correctionem, & alia hujuſmodi pertinerent, Epiſcopi Lauretani pro tempore exiſtentis, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati; In iis verò, quæ quorumcumque Bonorum ejuſdem S. Cappellæ temporalem adminiſtrationem, nec non dictæ Civitatis Lauretanæ, ejuſque Comitatus, atque Diſtrictus, tam in Cauſis Civilibus, quàm Criminalibus, ſeu mixtis gubernium Sæculare concernerent, Romanæ Curiæ Prælati in Gubernatorem a Romano Pontifice pro tempore exiſtente deputandi, ope, & miniſterio uti deberet. Præterea tam Domorum, & Ædificiorum omnium Fabricam, & manutentionem, quàm Supellectilium cujuſcumque generis, Paramentorum, Gemmarum, aliorumque Jocalium, quæ ſub Theſauri nomine continentur, nec non eleemoſynarum, & largitionum quarumcumque cuſtodiam, atque etiam Montis Pietatis, Noſocomii, Hoſpitii, & Triclinii pro pauperibus Peregrinis, ſuperintendentiam, Gubernatoris prædicti curæ committendas eſſe; Miniſtros verò ſupradictis Locis, rebuſque inſervientes, ſi Clerici eſſent, in concernentibus duntaxat eorum miniſterium, Gubernatori prædicto, in reliquis autem Epiſcopo Lauretano, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato; Organiſtam demum, Cantoreſque quoſcumque ejuſdem Sanctæ Domus, quoad correctionem morum, Eccleſiæque ſervitium Epiſcopo, in cæteris Gubernatori ſubeſſe debere decrevit, & declaravit; Si quid verò circa præmiſſorum obſervantiam, interpretationem, ſeu declarationem, ullo unquam tempore controverti, aut dubitari contigiſſet, id omne

S. Domus, & Civitatis regimen quoad Spiritualia Epiſcopo ut S. Sedis Delegato, quoad Temporalia Gubernatori commiſit.

Epiſcopi, & Gubernatoris facultates explicavit.

Tandem Controverſias oriendas Congregat. Lauretanæ declarandas &c. reliquit.

prædictæ Congregationi Lauretanæ, ut præmittitur, inſtitutæ judicio (neceſſariis, & opportunis ei ad id facultatibus attributis) declarandum, decidendum, definiendumque eſſe præcepit, & mandavit, aliaque ſtatuit, & decrevit, prout in ejuſdem Innocentii Præceſſoris Conſtitutione prædicta uberius continetur.

Varia poſt Conſtitutionem Innocentii Controverſiæ.

Cum autem ex præmiſſis providè, ut præmittitur, diſpoſitis, ea, quæ ſperabatur, concordia, & tranquillitas non evenerit, quinimò inter Epiſcopum Lauretanum, & Gubernatorem prædictos, ſuper eorum reſpectivè Juriſdictionis exercitio, ac pertinentia novæ dubiorum, & quæſtionum ambages emerſerint, adeout in illis diſſolvendis Congregatio Lauretana prædicta per crebras Reſolutiones, & Decreta aſſiduè laboraverit; Nos, quibus juriſdictionales controverſiæ hujuſmodi, in ipſo Noſtræ ad Summi Apoſtolatus apicem Aſſumptionis exordio, non ſine animi moleſtia innoteſcebant, ſolliciti fuimus, ut per ſedulam Noſtræ proviſionis induſtriam, Controverſias hujuſmodi componeremus; Quamobrem poſt deliberationem, quam ſuper hoc adhibuimus diligentem, varias Reſolutiones a prædicta Congregatione Lauretana ſuper eiſdem Controverſiis aliàs aliis temporibus emanatas colligi curavimus; ſimulque gravati non ſumus tria ſupra triginta Dubia materiam juriſdictionalem hujuſmodi tangentia, in dicta Congregatione uſque de Anno Domini MDCCXXXIV. inter Partes concordata, ſed nondum eatenus propoſita, nec deciſa, Apoſtolicæ Noſtræ Reſolutionis oraculo definire; Omneſque, & ſingulas, tam a Nobis, quoad Dubia prædicta, quàm ab ipſa Congregatione editas Reſolutiones prædictas, in compilationem, ſeu Synopſim Alphabeti ordine digeſtam, quæ deinde Typis impreſſa promulgari valeat, curavimus redigendas.

Earum Reſolutiones a Congregatione Lauretana emanatæ colliguntur, & XXXIII. Dubia ab A. 1734. in Congregatione inter partes concordata, decidunturque. Omnes Reſolutiones in Alphabeticam Synopſim redactæ imprimuntur.

Motu proprio &c. Privilegia &c. a Prædeceſſ. S. Domini &c. conceſſa,

Intendentes igitur per eandem Synopſim quæſtiones, & Controverſias juriſdictionales hujuſmodi aut omninò extinguere, vel ſaltem majori ex parte abole-

re,

An eidem Epiſcopo, juxta Conſtitutionem ſ. m. Pauli V. debeatur uſus Paramentorum Eccleſiaſticorum in ſuo Sacrario ſeparato aſſignandorum; Et an valeat ipſis uti etiam in Functionibus explendis in Diœceſi Lauretana?

RESOLUTIO. Affirmativè quoad primam partem, & negativè quoad ſecundam.

XXXII. DUBIUM.

An Epiſcopus vigore Bullæ Sa. mem. Innocentii XII. ſit Delegatus perpetuus, ſive potiùs, An, & in quibus caſibus recurrere teneatur ad Sacram Congregationem Lauretanam?

RESOLUTIO. Epiſcopum vigore Bullæ Innocentianæ eſſe Delegatum perpetuum, nec eſſe adſtrictum recurrere ad Sac. Congregationem Lauretanam pro exercitio dictæ juriſdictionis delegatæ, ſalvâ tamen Superioritate dictæ Sacræ Congregationis, & ſalvâ obedientiâ eidem ab Epiſcopo debitâ, ad tramites ejuſdem Conſtitutionis Innocentianæ.

XXXIII.

XXXIII. DUBIUM.

An Vicarius ejuſdem Epiſcopi poſſit procedere, uti Subdelegatus Apoſtolicus, ſive ipſius Epiſcopi?

RESOLUTIO. Vicarium Epiſcopi in his, quæ reſpiciunt exercitium juriſdictionis delegatæ, non debere procedere uti Subdelegatum Apoſtolicum, ſed uti Subdelegatum Epiſcopi.

Sequens XXXIV. Dubium fuit juſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri inter Partes concordatum, & ab eadem Sanctitate Sua, ut infra, reſolutum.

XXXIV. DUBIUM.

An, & cui competat Electio, Approbatio, & reſpectivè Expeditio Litterarum Patentium Rectoris Eccleſiæ Parochialis S. Petri Caſtri Fidardi in caſu &c.?

RESOLUTIO. Electionem, & Litterarum Patentium Expeditionem competere ad Gubernatorem nomine Congregationis Lauretanæ; Examen verò, ac Approbationem ad Epiſcopum jure delegato.

CON-

CONSTITUTIO
SANCTÆ MEMORIÆ
PAULI QUINTI
PONT. MAX.

PAULUS
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

DIvinâ diſponente clementiâ in eminenti Apoſtolicæ Dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus conſtituti, inter cæteras curas humeris noſtris incumbentes, illam libenter amplectimur, per quam noſtræ declarationis, & proviſionis ope nedum lites, & controverſiæ, præſertim inter Eccleſias hactenus ſubortæ tollantur, ſed etiam quarumlibet Eccleſiarum, & præcipuè illarum, in quibus Beatiſſima ſemper Virgo Dei Genetrix Maria continuis ſplendet miraculis, & ad quas ob id Chriſtifidelium confluit multitudo, ſtatui, & decori conſulatur, privilegiaque, & gratiæ, ac conceſſiones, & indulta ipſis Eccleſiis per Sedem Apoſtolicam conceſſa confirmentur, & prout in Domino conſpicimus expedire, amplientur, & extendantur.

Cum itaque inter Eccleſias ipſi Glorioſiſſimæ Vir-

gini dedicatas Ecclesia Lauretana præcipua habeatur, & illi quamplures Romani Pontifices Prædecessores nostri diversas concessiones, gratias, privilegiaque, & indulta hactenus concesserint, & præsertim fel. rec. Sixtus IV. Prædecessor noster ejus Motu proprio, certaque scientiâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine dictam Ecclesiam Beatæ Mariæ de Laureto, & illius Ministros, seu Personas illi in spiritualibus, & temporalibus pro tempore deservientes, ejusque Membra, res, & jura quæcunque præsentia, & futura, ab omni jurisdictione, superioritate, dominio, potestate, correctione, & Visitatione Episcopi Recanatensis, de cujus Dioeceſi tunc erat, & aliorum quorumcumque Ordinariorum Judicum perpetuò auctoritate Apostolicâ, penitus, & omninò exemerit, & totaliter liberaverit, Ecclesiamque prædictam sub speciali Beati Petri, & dictæ Sedis Protectione susceperit, decernens eam, & illius Ministros, seu Personas, & Membra, res, & jura præfata fore eidem Sedi immediatè subjecta, ipsaque ad eandem Ecclesiam una cum illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis, necnon oblationibus, & legatis quibuscunque ei quomodocunque, & qualitercunque factis, & faciendis, seu aliàs ad eam provenientibus, plenariè, & integrè, & absque ulla prorsus deductione Quartæ, seu Decimæ, aut cujuslibet alterius legitimæ portionis Legatorum, seu oblationum hujusmodi, & nullatenus ad prædictum Episcopum, & Ecclesiam Recanatensem spectare, & pertinere, necnon Episcopum, & alios Judices Ordinarios prædictos ratione delicti, vel Contractus, aut rei, de qua ageretur, ubicunque delictum committeretur, contractus iniretur, aut res ipsa consisteret, nullam in dicta Ecclesia de Laureto, illiusque Ministros, seu Personas, Membra, bona, res, & jura, & alia prædicta, jurisdictionem, seu potestatem, aut dominium quomodolibet

Indultū Sixti IV. super exemptione Ecclesiæ Lauretanæ, ejusque Ministrorum, & bonorum, etiam ratione delicti, contractus, & rei sitæ, &c.

libet exercere poſſe, caſſans, & irritans omnes facultates, ſeu privilegia, & Litteras Apoſtolicas, etiam Motu, & ſcientiâ ſimilibus per ipſum Sixtum Prædeceſſorem, vel alios Romanos Pontifices, & præſertim per piæ mem. Nicolaum V. etiam Prædeceſſorem noſtrum, tunc ſuum, tam dilectis Filiis Populo, & Communi præfatæ Civitatis Recanatenſis, quàm eidem Epiſcopo, & quibuſvis aliis Perſonis ſuper rebus, bonis, & oblationibus hujuſmodi, ac ejuſdem Eccleſiæ de Laureto jocalibus, illorumque cuſtodia, ſeu conſervatione, aut adminiſtratione habenda conceſſas, & conceſſa, quas quidem Litteras, & privilegia ad conſervationem, ſeu cuſtodiam, ac curam, & adminiſtrationem hujuſmodi, ex tunc de cætero ſe extendere, & in eis aliquod robur, & firmitatem obtinere noluit;

Confirmatio Julii II.

Deinde verò recol. me. Julius II. ſimiliter Prædeceſſor noſter eandem exemptionem ejus Motu proprio confirmaverit, ampliaverit, & de novo conceſſerit;

Erectio Eccleſiæ Lauretanæ in Collegiatam, & exemptio conceſſa a Leone X. cum cognitione cauſarum activè, & paſſivè &c.

Et ſucceſſivè piæ mem. Leo X. etiam Prædeceſſor noſter ejus Motu ſimili prædictam Eccleſiam de Laureto aſſiduis miraculis, & ampliſſimis Ædificiis etiam tunc ſplendentem in Collegiatam, & in ea duodecim Canonicatus, & totidem Præbendas, ac duodecim Manſionarias, & ſex Clericatus pro totidem Canonicis, Manſionariis, & Clericis, qui in ipſa Eccleſia de Laureto divina Officia juxta Ordinationem a bo. mem. Bernardo S. Mariæ in Porticu Diacono Cardinali de Bibiena nuncupato, prædictæ Eccleſiæ de Laureto, illiuſque Domus Protectore, faciendam celebrare tenerentur, perpetuò erexerit, eidemque Cardinali Protectori facultatem ſtatuta condendi, conceſſerit; Et inſuper idem Leo Prædeceſſor voluerit, quod bona, Miniſtri, & Servitores ejuſdem Eccleſiæ de Laureto, nedum ab Epiſcopi Recanatenſis præfati, ſed etiam quorumcumque Ordinariorum, & Superiorum, etiam Legati

gati Provinciæ Marchiæ Anconitanæ pro tempore exiſtentis juriſdictione, ſuperioritate, correctione, & dominio in ſpiritualibus, & temporalibus, civilibus, & criminalibus, ac mixtis, eſſent prorſus exempti, quodque cauſæ Peregrinorum ad dictam Eccleſiam de Laureto confluentium, & ejuſdem Eccleſiæ Familiarium, & Servientium, tam civiles, quàm criminales, ſivè mixtæ durante peregrinatione, & tempore ſervitii tam activè, quàm paſſivè pro tempore motæ per Gubernatorem, ſeu Protectorem dictæ Eccleſiæ de Laureto audiri, cognoſci, & diffiniri deberent;

Ampliatio Clementis VII.

Et ſucceſſivè ſimilis mem. Clemens VII. etiam Prædeceſſor noſter eandem exemptionem, etiam quoad temporalem Juriſdictionem, ampliaverit, Villamque, ſeu Oppidum Lauretanum tunc nuncupatum, ipſiuſque pro tempore habitantes, ac ædificia, & propugnacula, omnemque ipſius ambitum, foſſas, & aggeres cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis a juriſdictione, comitatu, poteſtate, auctoritate, & arbitrio Civitatis, Communitatis, Officialium, ac Hominum Recanatenſium penitus exemerit, & liberaverit;

Approbatio, & Confirmatio Pauli III.

Ac poſtea fel. rec. Paulus III. etiam Prædeceſſor noſter præfatam exemptionem reſpectu juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & Spiritualis eiſdem Domui, & Eccleſiæ Lauretanæ conceſſæ, ac etiam reſpectu temporalis juriſdictionis, quoad Eccleſiaſticos, ac peregrinos, & alios prædictæ Domui inſervientes, ejus Motu ſimili approbaverit, & confirmaverit;

Prærogativa Eccleſiæ Lauretanæ, & illius erectio in Cathedralem facta a Sixto V. cum aſſignatione dotis Epiſcopalis.

Poſtremò verò piæ mem. Sixtus V. etiam Prædeceſſor noſter conſiderans, in tunc Oppido Lauretano extare præfatam Inſignem Collegiatam Eccleſiam ſub Invocatione B. Mariæ Virginis Dei Matris fundatam, in cujus medio inerat illud Sacrum Cubiculum Divinis Myſteriis conſecratum, in quo eadem Virgo Maria nata fuit, & ibidem ipſa ab Angelo ſalutata, Salvatorem Mundi de Spiritu Sancto concepit, miniſterio

ſterio Angelorum illuc translatum, & ad dictam Eccleſiam ob miracula, quæ in dies Omnipotens Deus, interceſſione, & meritis ejuſdem B. Mariæ Virginis in eodem Cubiculo operari dignatur, Chriſtifideles ex omnibus Mundi regionibus devotionis, & peregrinationis causâ confluere, eandem Eccleſiam Collegiatam in Cathedralem ſub eadem Invocatione pro uno Epiſcopo Lauretano nuncupando, qui juriſdictionem Epiſcopalem habeat, & exerceat in Spiritualibus, cum Menſa Epiſcopali, honoribuſque, & privilegiis, quibus alii Epiſcopi de Jure, vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet in eiſdem Spiritualibus utuntur, & gaudent, ac uti, & gaudere poſſunt, & in eadem Eccleſia quatuor Dignitates, ac duodecim Canonicatus, & totidem Beneficiatus, & Clericatus erexerit, ſeu jam erectos remanere decreverit, ac pro dote Menſæ Epiſcopalis Lauretanæ duo millia Scuta annua Monetæ dictæ Provinciæ, partim ex redditibus Eccleſiæ Recanatenſis tunc ſuppreſſæ, partim verò in aliis certis emolumentis aſſignaverit, reſiduum verò dictorum duorum millium ex tot prædiis, & poſſeſſionibus dictæ Domus Lauretanæ per tunc exiſtentem Cardinalem ejuſdem Domus Protectorem ejus arbitrio declarandis, & aſſignandis perpetuò conceſſerit, & aſſignaverit, prout in diverſis Litteris Apoſtolicis, & Motibus propriis deſuper confectis plenius continetur;

Aſſignatio Dotis Epiſcopi non effectuata pro rata ſibi debita in bonis Almæ Domus.

Et ſicut accepimus prædicta aſſignatio prædiorum, & poſſeſſionum necdum effectum ſortita fuerit, & hactenus loco aſſignationis reſidui uſque ad duo millia Scuta hujuſmodi, pro tempore exiſtenti Epiſcopo Lauretano octingenta Scuta Monetæ dictæ Provinciæ per tunc exiſtentem dictæ Domus Lauretanæ Protectorem quolibet Anno in duabus vicibus pro reſiduo dictorum duorum millium Scutorum ſoluta fuerint;

Et Epiſcopus ad eandem Eccleſiam Lauretanam tunc, vel ſucceſſivè promotus prætendere cæperit, ſe uti

Jurisdictio pretensa per Episcopum in Sac. Cubiculo, & ejus Ministris &c.

uti Episcopum Lauretanum posse multa ejus propriâ auctoritate statuere, ordinare, & facere in prædicto Sacro Cubiculo, ejusque Sancta Cappella, ac illius Officialibus, Ministris, laboratoribus, aliisque ejus personis, & bonis, absque licentia Cardinalis pro tempore Domus Lauretanæ Protectoris, ejusque Gubernatoris, ad quas dissensiones dirimendas, de ordine ejusdem Sixti V. Prædecessoris a bo. me. Scipione S. R. E. Cardinale Lancellotto nuncupato facta quædam Capitula, seu concordata nuncupata, etiam tunc a partibus, ut asseritur, acceptata fuerunt sequentis tenoris, videlicet:

Concordata inter Protectorem, & Episcopum facta per Cardinalem Lancellotum de mandato Sixti V.

Spectantia ad Cardinalem Protectorem.

Spectantia ad Illustrissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Protectorem Ecclesiæ Lauretanæ: Sanctæ Cappellæ eleemosynarum, oblationum a Christifidelibus elargitarum cura, Custodum dictæ Cappellæ deputatio, & correctio, licentiarum ingrediendi Sanctam parvam Cappellam concessio, fabricæ Ecclesiæ Cura, & administratio, legatorum piorum, & eleemosynarum, & oblationum, quæ fiunt Beatæ Mariæ de Laureto, & Cappellæ Sanctissimi Sacramenti administratio, Hospitalis cura, officialium dicti Hospitalis deputatio, & correctio, Sacristiæ, & ejus rerum cura, Officialium Sacristiæ deputatio, & in eorum officio delinquentium correctio: Assignabit autem Reverendissimo D. Episcopo separatam aliquam Sacristiam, nec non sub inventario paramenta, & res pro cultu divino, & ipsius Episcopi, & celebrantium usu necessarias.

Spectantia ad Episcopum Lauretanum.

Spectantia ad Reverendissimum Episcopum Ecclesiæ Lauretanæ: Cura Ecclesiæ, & administratio, & Spiritualis jurisdictio Ecclesiæ, Cappellarum, Altarium, Cœmeterii, Sacrarii, loci Sacramentorum visitatio, eorum, qui dicta Sacramenta administrant, Cantorum, & Organistæ Deputatio, & correctio, Cappellas novas, & nova Altaria construendi, & illa removendi, si fuerint in locis minùs decentibus, & congruis posita, licen-

centia, legatorum piorum, eleemoſynarum, & oblationum, quæ fiunt particularibus Altaribus, ſeu Cappellis dictæ Eccleſiæ, præter quam B. Mariæ de Laureto, & Cappellæ Sanctiſſimi Sacramenti adminiſtratio, cura Animarum, adminiſtrantium Sacramenta, tam in Eccleſia, quàm extra deputatio, & correctio, examinantium litteras dimiſſoriales, ac teſtimoniales, & licentias Peregrinorum Sacerdotum, qui in dicta Eccleſia celebrare voluerint, deputatio, & correctio, Sacriſtiæ ſibi aſſignandæ, necnon paramentorum, & rerum neceſſariarum pro cultu divino, & ſuo, & celebrantium uſu cura, Sacriſtanorum, & aliorum Officialium, ſeu Clericorum dictæ ſuæ Sacriſtiæ deputatio, & correctio, Hoſpitalis, & ejus Altaris, & loci Sacramentorum, nec non Confeſſarii circa ejus ſufficientiam, ac officium viſitatio: Poſſit ad libitum in Sancta Cappella celebrare, & in ea communicare quos voluerit; poſſit etiam quandocumque, & abſque licentia ingredi Sanctam parvam Cappellam orandi causâ.

Supradicta capitula confeci de mandato SS. D.N. Sixti Papæ V. & ejus communicato conſilio. Scipio Cardinalis Lancellottus.

Prætenſiones Epiſcopi & Protectoris.

Et quia ex prædictis Capitulis non fuerat ſublata occaſio diſſenſionum, cum Epiſcopus Lauretanus pro tempore exiſtens, multas haberet prætenſiones, præſertim quoad exercitium Juriſdictionis in prædicta Sancta Cappella, & ejus miniſtris, & bonis; & è converſo bo. me. Antonius Maria Epiſcopus Hoſtienſis Cardinalis Gallus nuncupatus, dum vixit, ejuſdem Domus Lauretanæ Protector, illius adminiſtrationem, & ſic Sanctæ Cappellæ, ab adminiſtratione dictæ Eccleſiæ Lauretanæ diverſam eſſe, & propterea ipſam Sanctam Cappellam quamvis incluſam in ambitu dictæ Eccleſiæ Lauretanæ, remanſiſſe prætendere nihilominus ſub ejus ſeparata adminiſtratione exempta pleniſſimè a Juriſdictione Ordinaria Epiſcopi Lauretani, prout prius antequam

in Cathedralem erecta eſſet, exempta erat ab Epiſcopo Recanatenſi, totamque Juriſdictionem Eccleſiaſticam, & Spiritualem, etiam quoad curam animarum in Domo, & Sancta Cappella Lauretana, ejuſque Gubernatore, Miniſtris, Officialibus, Cuſtodibus, Cappellanis, Factoribus, Laboratoribus, aliiſque inſervientibus, necnon reſpectivè in quibuſcunque bonis, & Eccleſiis ad eandem Domum Lauretanam ſpectantibus, ad ipſum etiam privativè ad Epiſcopum prædictum ſpectaſſe, & ſpectare.

Introductio litis, & Deciſiones Rotales in cauſa emanatæ.

Hinc que lis, & controverſia inter ipſum Cardinalem Protectorem ex una, & dilectum filium noſtrum Auguſtinum Presbyterum Cardinalem de Aracæli nuncupatum tunc prædictarum Lauretanæ, & Recanatenſis Eccleſiarum ad invicem unitarum ex diſpenſatione Apoſtolica Præſulem partibus ex altera introducta, & per nos nonnullis ejuſdem S. R. E. Cardinalibus, & deinde uni ex dilectis filiis Cappellanis noſtris, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, ſeu Locumtenenti commiſſa, tandem utraque parte ſemper informante in Auditorio Rotæ ſub XXI. Junii milleſimi ſexcenteſimi ſexti decimi reſolutum fuit, eſſe dandum Epiſcopo Lauretano mandatum de manutenendo quoad exercitium Juriſdictionis in Clerum, & Cantores, necnon etiam in Cuſtodes, & alios Miniſtros Sanctæ Cappellæ, quando tamen delinquunt extra Sanctam Cappellam, & extra officium, & poſtea ſub XXIII. Januarii etiam deciſum fuit, ſanctam Cappellam comprehendi in dictæ Eccleſiæ Cathedralis Lauretanæ erectione, & poſtmodum ſub XXI. Aprilis, quoad comprehenſionem Sanctæ Cappellæ in dictæ Eccleſiæ Cathedralis Lauretanæ erectione, attentis verbis, & obſervantiâ litterarum dictæ erectionis, Rota ſtetit in deciſis, & iterum ſub XIII. Novembris milleſimi ſexcenteſimi decimi ſeptimi fuit etiam reſolutum, non probari aliquam obſervantiam, per quam poſſet dici, erectionem dictæ Cathedralis Eccleſiæ non com-

comprehendere dictam Sanctam Cappellam, & ſucceſſivè ſub v. Martii fuit deciſum, præfata Capitula, ſeu concordata, uti facta de ordine Sixti V. Prædeceſſoris hujuſmodi per dictum Scipionem Cardinalem inter dictos Cardinalem Protectorem, & Epiſcopum Lauretanum, eſſe obſervanda, quæ deciſio etiam utrâque parte informante approbata, & confirmata fuit ſub 1. Junii milleſimi ſexcenteſimi decimi octavi annorum Domini, mentium diebus, prout in deciſionibus deſuper extenſis, ac ſcripturis, & actibus rotalibus pleniùs continetur.

Aliæ prætenſiones Epiſcopi.

Verùm quia præfata lis, & controverſia ex tot deciſionibus rotalibus præfatis non terminata, imò aucta videbatur ob multas, & diverſas prætenſiones, quæ hinc inde deducebantur, & præſertim nomine dicti Epiſcopi Lauretani prætendebatur, etiam præmiſſis non obſtantibus omnia jura ſpiritualia, & præcipuè Ordinum etiam ſacrorum collationem, & Sacramentorum quorumcunque adminiſtrationem concernentia, tam in tota Eccleſia, quàm etiam in Sancta Cappella, Civitate, & Diœceſi Lauretana eſſe ſolius Epiſcopi privativè quoad Cardinalem Protectorem, & quoſcunque alios, necnon Cuſtodes dictæ Cappellæ eſſe punctandos, quando a choro præfatæ Eccleſiæ Lauretanæ abſunt, juxta etiam decreta Synodalia Lauretana, quando non ſunt hebdomadarii dictæ Cappellæ, ipſoſque Cuſtodes Conſtitutionibus, & Decretis tam in Synodo, quàm extra Synodum ab Epiſcopo Lauretano pro tempore factis, & faciendis ligari, & in omnibus correctioni dicti Epiſcopi Lauretani ſubjacere, nullamque in eadem Sancta Cappella licentiam Sacramenta miniſtrandi, Miſſas celebrandi, aliaque ſacra peragendi, & pro illorum, & illarum celebratione opportunas horas, & tempora ſtatuendi, & aſſignandi, præter Epiſcopum Lauretanum dirigere, concedere, & ſtatuere poſſe, ſed ipſi Epiſcopo Lauretano ſolùm hujuſmodi facultatem privativè quo-

ad prædictum Cardinalem Protectorem, & alios reſervatam eſſe, deputationemque Sacerdotis pro exercenda cura animarum, etiam in Hoſpitali Lauretano, ad ipſum Epiſcopum Lauretanum, etiam privativè quoad prædictum Cardinalem Protectorem, & alios ſpectare, in Cantores quoque dictæ Eccleſiæ Lauretanæ, ac Clericos Sacriſtiæ etiam Miſſis ejuſdem Eccleſiæ Lauretanæ ſervientes nullam penitus, præter ipſum Epiſcopum Lauretanum, etiam quoad retentionem portionum, ſeu pitantiarum, aliquam juriſdictionem habere, vel exercere poſſe, facultatemque viſitandi Parochialem Sancti Petri Terræ Caſtrificardi Lauretanæ, ſeu alterius Diœceſis, & alias Eccleſias, & beneficia Eccleſiaſtica eidem Sanctæ Cappellæ, & Domui Lauretanæ unita, annexa, & incorporata, ſeu ab eiſdem dependentia ad ipſum Epiſcopum Lauretanum ſpectare, Sacriſtas quoque, ac miniſtros Sacriſtiæ dictæ ſanctæ Cappellæ teneri ad parendum ordinibus prædicti Epiſcopi Lauretani in concernentibus ſervitium, & cultum dictæ Sanctæ Cappellæ, pro celebratione Miſſarum, & adminiſtratione Sacramentorum, correctionemque, & punitionem, ſeu mulctam judicialem, ac etiam in levibus extrajudicialem omnium Eccleſiaſticarum perſonarum ſanctarum Domus, & Cappellæ, ac Civitatis, & Diœceſis Lauretanæ hujuſmodi, etiamſi ſint Cuſtodes ejuſdem Sanctæ Cappellæ, vel Sacriſtiæ inſerviant, ad Epiſcopum Lauretanum in omnibus etiam privativè quoad Protectorem, & Gubernatorem ſpectare.

Sequuntur prætenſiones Epiſcopi.

Præterea eundem Epiſcopum Lauretanum omnes functiones Epiſcopales, & publicas, etiam adminiſtrationis Sacramentorum, & collationis quorumcunque Ordinum in dicta ſancta Cappella, ſicut in alia parte dictæ Eccleſiæ Lauretanæ facere, necnon Montem Pietatis Lauretanum juxta decreta Concilii Tridentini viſitare poſſe, Gubernatoremque, & Cuſtodes dictæ Sanctæ Cappellæ, ac Cappellanos, & alios inſervientes Sanctæ Domui,

mui, & Cappellæ prædictis, necnon cæteros Officiales, Miniſtros, Factores, laboratores, & alios inſervientes eſſe Epiſcopo Lauretano pro tempore exiſtenti quoad curam animarum immediatè ſubjectos, & propterea ſaltem ſemel in anno in die Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti teneri eorum peccata prædicto Epiſcopo Lauretano, vel ejus deputatis confiteri, & ab eo, vel ejus miniſtris Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere, Protectoremque, & Gubernatorem a Protectore deputari ſolitum, vel alium ejus miniſtrum non poſſe mulctare, nec punctare, aut mulctas imponere Cantoribus, nec cuilibet alteri, ſive clerico, ſive laico ſervienti in dicta Eccleſia Lauretana, vel Sancta Cappella, etiam quod eſſent negligentes, & in eorum officium delinquerent, ſed id totum ſpectaſſe, & ſpectare ad dictum Epiſcopum Lauretanum, ipſumque Gubernatorem teneri in functionibus prædictæ Eccleſiæ Lauretanæ in loco ſibi per eundem Epiſcopum Lauretanum aſſignato aſſiſtere: Inſuperque dubitabatur, alias prætenſiones, & controverſias quotidie exoriri poſſe.

Cauſa finalis præſentis Conſtitutionis.

Quia vero nos nuper defuncto prædicto Cardinali Gallo, & Auguſtino Cardinali de Aracæli prædicto ad Eccleſiam Auximanam per Nos translato, ad prædictis, & aliis perturbationibus, & diſcordiis in futurum forſan excitandis obviandum, ac ut præfata Domus, & Sancta Cappella Lauretana, ejuſque officiales, miniſtri, laboratores, factores, & alii quomodolibet ei inſervientes, ejuſdemque Domus, & Sanctæ Cappellæ bona, res, & jura quæcumque in pacis, & quietis amœnitate confoveantur, & a dilecto filio noſtro Scipione tituli Sancti Chryſogoni Presbytero Cardinali Burgheſio nuncupato, noſtro ſecundum carnem ex Sorore germana Nepote, nuper in Protectorem eidem Domui, & Sanctæ Cappellæ per nos deputato, & a Protectore pro tempore deputando, ejuſque, & cujus-

cujuslibet eorum Gubernatoribus, Officialibus, Miniſtris, & perſonis melius, & facilius gubernari poſſint, litem, & cauſam, ſeu lites, & cauſas in Rota, & forſan alibi coram quibuſcumque Congregationibus, Judicibus, & Tribunalibus pendentes, ut præfertur, aut alias quomodolibet commiſſas, vel introductas in ſtatu, & terminis, in quibus reperiebantur, ac prædictas, & quaſcumque alias actiones, exceptiones, & prætenſiones hinc inde factas, & exortas, & tam coram eiſdem Cardinalibus, quàm in Rota, ac alias quomodocumque deductas, ac quomodolibet in futurum exoriundas, & deducendas, noſtræ vivæ vocis oraculo ad nos avocavimus, illaſque, & quaſcunque alias prætenſiones ex indultis præfatarum erectionum litteris, obſervantia etiam antiqua, & immemorabili, ſcripturis, & actis præmiſſa omnia, & ſingula quomodolibet concernentibus, ac alias quomodolibet, & quandocumque reſultantes, dilecto filio Joanni Garziæ tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Card. Millino nuncupato, & nonnullis aliis perſonis diſcutiendas, & examinandas, nobiſque referendas commiſimus: qua diſcuſſione matura per eoſdem habita, & plena relatione nobis deſuper facta;

Motu proprio &c. extinguit lites cũ impoſitione perpetui ſilentii, & declarat, prætenſiones Epiſcopi non obſtare Protectori.

Nos non ad ejuſdem Scipionis Cardinalis Protectoris, vel alterius petitionem, vel inſtantiam nobis factam, ſed motu proprio, certaque ſcientia, meraque deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tam ex præfata relatione, quàm ex certis rationabilibus cauſis animum noſtrum etiam abſque relatione præfata moventibus inducti, ad quarum omnium, & ſingularum cauſarum verificatiocem nolumus, quemquam unquam teneri, ſtatum, & merita hujuſmodi cauſæ, & cauſarum, ac controverſiarum, necnon jurium, actionum, & exceptionum, aliorumque juris, & facti remediorum, quorumcumque, etiam ſpeciali, & individua mentione, ſeu inſertione dignorum, nomina-

minaque, & cognomina Judicum, & quorumcumque collitigantium, ac jurium, actionum, exceptionum, & prætenſionum, privilegiorum quorumcumque, & indultorum, conceſſionum, gratiarum, conſuetudinum, & præſcriptionum, etiam longiſſimarum, etiam immemorabilium, ſtatutorumque, etiam juramento, ac alias etiam auctoritate Apoſtolica confirmatorum, & conſtitutionum etiam univerſalium, & decretorum etiam Synodalium Lauretanorum, ac in Provincialibus, & univerſalibus Conciliis, etiam motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet factorum, & factarum, emanatorumque, & emanatarum, ac uſu etiam antiquiſſimo receptarum, & quarumcumque aliarum obſtantiarum conjunctim, vel ſeparatim, aut aliàs quomodolibet concurrentium, aliorumque forſan exprimendorum, ſeu inſerendorum tenores, etiam ampliores, & veriores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, harum ſerie ad nos de novo avocamus, extinguimus, & reſpective perpetuo caſſamus, tollimus, & abolemus: necnon dictæ Eccleſiæ Lauretanæ, cujus Sedes Epiſcopalis nunc vacat, ac futuro, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Lauretano ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcunque aliis actionibus, exceptionibus, juris, & facti remediis, cæteriſque juribus quibuſcumque dignitati Epiſcopali, ac menſæ Epiſcopali dictæ Eccleſiæ Lauretanæ quomodolibet competentibus, & de cætero competituris, omnibuſque aliis prætenſionibus quomodolibet reſultantibus etiam non deductis, nec etiam cogitatis, nec cognitis, perpetuum ſilentium imponimus, prædictaſque actiones, prætenſiones, & jura quæcumque Protectori pro tempore exiſtenti earundem Domus Lauretanæ, & Sanctæ Cappellæ nullum in poſterum præſtare poſſe, vel debere impedimentum, vel obſtaculum, declaramus, & decernimus.

Et

Assignatio territorii separati nullius Diœcesis. Exemptio plenissima, & omnimoda Jurisdictio quasi Episcopalis concessa Protectori privativè quoad omnes in personis, & bonis hic expressis.

Et nihilominus etiam omnibus, & singulis præfatis cessantibus, eidem Sanctæ Domui, seu Sancto Cubiculo Lauretano solum, seu pavimentum tam ejusdem Sancti Cubiculi, seu Sanctæ Cappellæ, quàm circumcirca usque ad columnas, & scalas inclusivè contentum in Territorium proprium, distinctumque, & separatum nullius Diœcesis, in qua, seu quo, & quibus de cætero solus Protector pro tempore existens, ejusque Gubernator, qui pro tempore ab eo deputatus fuerit, privativè quoad Episcopum Lauretanum pro tempore existentem, jurisdictionem omnimodam, & quasi Episcopalem habere, & exercere possit, perpetuò assignamus, & constituimus, ipsamque Domum, seu Cubiculum Lauretanum, ejusque Sanctam Cappellam magnam, & parvam nuncupatam, ac pavimentum, & territorium prædictum, ejusque Gubernatorem, Officiales, Custodes, Cappellanos, Sacristanos, Presbyteros, Clericos, etiam Missis inservientes, & quoscumque Pœnitentiarios, etiam Regulares, Ministros, Cantoresque, familiares, seu famulos, & quoscunque alios eidem Sanctæ Domui, seu Sanctæ Cappellæ inservientes, tam intus, quàm foris, etiam Factores, Bubalarios, Pastores, & animalium custodes, laboratores, & quoscunque alios in servitio prædictæ Sanctæ Domus, seu Sanctæ Cappellæ, ejusque bonorum nunc, & pro tempore existentes, ac eorundem officialium, Ministrorum, & aliorum inservientium familias, servitores, & famulos, necnon quoscunque, ac cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentæ existentes peregrinos, & alios ad eamdem Sanctam Cappellam, seu Domum, aut Ecclesiam Lauretanam Confluentes, necnon ejusdem Sanctæ Domus, seu Sanctæ Cappellæ palatia, ædificia, domos, possessiones, tenutas, terras, & prædia quæcunque, & reliqua bona stabilia, tam in præfata Diœcesi Lauretana, quàm in quibuscumque aliis Diœcesibus consistentia, ac etiam se

mo-

moventia, & mobilia, ſupellectiliaque cujuſcunque generis, ac paramenta, ornamenta, & vaſa, calices, patenas, coronas, torques, monilia, gemmas, & quæcunque alia, etiam auri, vel argenti, etiam pretioſa, & pretioſiſſima, pecuniaſque & largitiones, legata, eleemoſynas, donationes, & relicta cujuſcunque conditionis, qualitatis, quantitatis, valoris, & æſtimationis, etiam inexcogitabilis, & incredibilis, a quacunque Epiſcopi Lauretani pro tempore exiſtentis, ac aliorum Epiſcoporum, ſeu Archiepiſcoporum, etiam quod eſſent ejuſdem S. R. E. Cardinales, ſuperioritate, dominio, & juriſdictione civili, criminali, & mixta, ac quacunque alia poteſtate, auctoritate, & facultate, tam de jure, quàm uſu, & conſuetudine etiam longiſſima, & præſcripta, etiam immemorabili, ac aliàs quomodolibet Epiſcopo Lauretano, & aliis Epiſcopis, & Archiepiſcopis etiam Cardinalibus competente, & competitura, ac aliàs eidem Epiſcopo Lauretano, & aliis Epiſcopis, & Archiepiſcopis prædictis, etiam ex litteris cujuslibet erectionis, privilegiis quoque, & indultis, ac Decretis Synodalium Conſtitutionum, etiam forſan acceptatarum, & uſu receptarum, & aliis præmiſſis, ac aliàs quomodolibet quacunque auctoritate, etiam Apoſtolica, etiam motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter conceſſa, ita quod Epiſcopus Lauretanus pro tempore exiſtens, & quilibet alius ex prædictis Epiſcopis, & Archiepiſcopis, etiam ſi ſit ejuſdem S. R. E. Cardinalis, etiam uti exequutor generalis, ſeu particularis quarumcunque ultimarum voluntatum, ſeu piorum relictorum, legatorum, aut aliarum diſpoſitionum, ac aliàs quomodolibet ex quacunque ratione, vel cauſa quantumlibet juridica, & pia, etiam uti Sedis Apoſtolicæ ex Decretis Concilii Tridentini, aut aliàs generaliter delegatus, aut vicinior, nullam penitùs juriſdictionem, auctoritatem, correctionem, & viſitationem, & facultatem in, & ſuper

præmiſſis omnibus, & ſingulis habere, prætendere, vel exercere nullatenus poſſit in quibuſcunque articulis, etiam primis, & ulterioribus inſtantiis, & cognitionibus, etiam per viam viſitationis, appellationis, querelæ, gravaminum, recurſus, in integrum reſtitutionis, & canonicæ denunciationis, ac cujuſcunque alterius devolutionis, vel modi, etiam juridici, etiam in corpore juris, vel conſtitutionum Apoſtolicarum, ac decretorum Concilii Tridentini, aliorumque univerſalium Conciliorum clauſi, etiam ratione ſupplendi negligentiam Protectoris pro tempore exiſtentis, ſeu Gubernatoris, & quorumcunque aliorum miniſtrorum, & officialium prædictæ Sanctæ Domus, ſeu Sanctæ Cappellæ, ac etiam ratione, vel ſub prætextu, quod exempti metam eorum exemptionis excedant, ac etiam ratione, vel ſub prætextu capiendi delinquentes, vel debitores, etiam de fuga ſuſpectos, & illos Protectori, ſeu Gubernatori conſignandi, ac etiam ratione curæ animarum, ſubminiſtrationis quorumcunque Sacramentorum, & celebrationis divinorum, collationis quorumcunque etiam Presbyteribus Ordinum, ac conceſſionis teſtimonialium, & dimiſſorialium, & quorumcunque aliorum quomodolibet legem Diœceſanam, ac legem juriſdictionis, & dignitatis Epiſcopalis, etiam uti Epiſcopi vicinioris, vel in cujus Diœceſi, diſtrictu, ſeu ambitu territorium exemptum, vel Eccleſia exempta conſiſtit, ſeu perſonæ exemptæ degunt, aut etiam ratione cujuſcunque contractus celebrati, delicti ſive in officio, ſive extra officium, aut aliàs quomodolibet commiſſi, vel rei etiam extra locum, & territorium ſeparatum prædictum ſitæ poteſtatem, facultatem, & jura tangentium, & concernentium, & ex quacunque & quibuſcunque aliis cauſis, & rationibus, etiam juridicis, etiam inſimul, vel conjunctim pro Epiſcopi Lauretani pro tempore exiſtentis, & aliorum Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum prædictorum etiam S. R. E. Cardina-

dinalium juriſdictione, ſuperioritate, correctione, aut viſitatione, ac aliàs quomodolibet concurrentibus, ita quod tam Epiſcopus Lauretanus, quam quilibet alius ex aliis Epiſcopis, & Archiepiſcopis etiam S. R. E. Cardinalibus habeatur, & ſit pro perſona extranea quoad Sanctam Cappellam præfatam, ejuſque territorium nullius Diœceſis, ac reliqua omnia, & ſingula præmiſſa, tenore præſentium perpetuò, ac pleniſſimè, penitùs, & omninò eximimus, abſolvimus, & liberamus, ac ſub B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ Protectione ſpeciali ſuſcipimus, omnimodamque juriſdictionem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem, ac quaſi Epiſcopalem in prædictam Sanctam Domum, ſeu Sanctam Cappellam, ejuſque territorium prædictum, ac Gubernatorem, Officiales, Miniſtros, Cuſtodes, Cappellanos, Laboratores, & alios inſervientes prædictos, eorumque familias, ſervitores, & famulos, eorumque bona, res, & jura quæcunque, necnon omnia, & ſingula quæcunque bona ſtabilia, ſe moventia, & mobilia, reſque, & jura prædicta, præſentia, & futura ejuſdem Sanctæ Domus, ſeu Sanctæ Cappellæ, Eccleſiaſque, & beneficia etiam curata eidem Sanctæ Domui, ſeu Sanctæ Cappellæ, nunc, & pro tempore unita, annexa, vel ab ea dependentia, & quoſcunque illis nunc, & pro tempore inſervientes, nec non omnes, & ſingulos peregrinos, & alios cujuſcunque qualitatis, gradus, ſtatus, & præeminentiæ ad eandem Sanctam Domum, ſeu Sanctam Cappellam Confluentes prædictos, eidem Scipioni Cardinali, & pro tempore Protectori, & ejus Gubernatori concedimus, & perpetuò adjudicamus; Prædictoque Protectori, & Gubernatori tanquam Prælato proprium, & diſtinctum territorium nullius Diœceſis, Sedique Apoſtolicæ immediatè ſubjectum habenti, & in eo juriſdictionem omnimodam, & quaſi Epiſcopalem exercenti, Litteras, & commiſſiones Apoſtolicas, præſertim quoad perſonas, bona, res, & jura, ut præmittitur, Cardinali Protecto-

ri, pro tempore exiſtenti ſubjectas, & ſubjecta, dirigendas, & ſcribendas eſſe decernimus.

Cura animarum Gubernatoris, & aliorum exemptorum ſpectat ad Curatum Almæ Domus.

Quodque Vicarius Curatus Sanctæ Cappellæ nuncupandus per Protectorem, vel alium de ejus mandato pro tempore exiſtentis, ad vitam deputandus, & approbandus curam Animarum Gubernatoris, Cuſtodum, Cappellanorum, Sacriſtanorum, Presbyterorum, Pœnitentiariorum, Officialium, Miniſtrorum, Factorum, Bubalariorum, Paſtorum, & aliorum Cuſtodum, Laboratorum, & quorumcunque aliorum eidem Sanctæ Domui, & Sanctæ Cappellæ, intus, & foris, ubilibet tam in Lauretana, quàm in qualibet alia Diœceſi inſervientium, eorumque familiarum, Servitorum, & famulorum, & quorumcunque Peregrinorum, & aliorum Confluentium prædictorum, ac etiam infirmorum in prædicto hoſpitali exiſtentium, habere, & exercere, ita quod cura Animarum prædictarum perſonarum, illiuſque exercitium, quoad omnia, quæ ſunt fori pœnitentialis, apud ipſum ſolum Vicarium, ſeu Curatum nuncupandum reſidere, & ad eundem ſpectare debeat privativè quoad Epiſcopum Lauretanum, alioſque Epiſcopos, & Archiepiſcopos prædictos, etiam S. R. E. Cardinales, & quoſcunque alios, & ab eodem Vicario in Cappella publica in Palatio ejuſdem Sanctæ Domus, vel in Eccleſia ipſa Lauretana, vel alibi arbitrio Cardinalis Protectoris conſtruenda, & decenter ornanda eadem cura animarum exerceri, & Sacramenta quæcunque ibi etiam decenter cuſtodiri, & haberi, ac eiſdem Perſonis ſubminiſtrari, poſſint, & debeant.

Peregrini, & forenſes poſſunt ſe communicare in quacumque Cappella ſibi placuerit, excepto caſu infirmitatis.

Volumus autem, quod Peregrini, & alii Forenſes Confluentes præfati ſumere poſſint Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tam in prædicta Sancta Cappella, quàm in Cappella Sanctiſſimi Sacramenti, vel in Cappella noviter, ut præfertur, conſtruenda, vel in alia Cappella, prout eiſdem Peregrinis, & Forenſibus placuerit, præterquam in caſum infirmitatis, quo caſu Sa-

Sacramenta a prædicto Vicario ſunt illis ſubminiſtranda.

Decernimus quoque, quod Cuſtodes Sanctæ Cappellæ habeant facultatem aſſignandi horas pro celebratione Miſſarum in Sancta Cappella juxta ordinationem Card. Protectoris pro tempore exiſtentis, ſeu ejus Gubernatoris, necnon quod Canonici, Beneficiati, & Clerici, qui officio Cuſtodis, ſeu Cuſtodum S. Cappellæ, vel ejus Sacriſtiæ, ſeu Sacriſtanorum funguntur, vel reſident in Eccleſiis ubicunque exiſtentibus, & prædictæ S. Domui, vel S. Cappellæ Lauretanæ unitis, ſeu annexis, vel quomodolibet ab ea dependentibus, etiam curam animarum habentibus, ſeu illas obtinent, in omnibus, & per omnia ſubjaceant omnimodæ juriſdictioni, correctioni, & viſitationi Protectoris pro tempore exiſtentis, ejuſque Gubernatoris prædictorum privativè quoad eundem Epiſcopum Lauretanum, etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatum, etiam uti viciniorem, & quemlibet alium ex prædictis Epiſcopis, & Archiepiſcopis, etiam S. R. E. Cardinalibus, præter quam in concernentibus beneficia Epiſcopo Lauretano pro tempore exiſtenti ſubjecta, & illorum ſervitium, a quo tamen ſervitio Cuſtodes, & Sacriſtæ liberati, & abſoluti ſint, & eſſe intelligantur pro tempore, quo in ſervitio prædictæ S. Cappellæ, vel alibi de mandato Protectoris, ſeu Gubernatoris pro ſervitio ejuſdem S. Cappellæ erunt occupati, ita quod propterea a quoquam nullo modo punctari, vel mulctari, aut puniri poſſint.

Cuſtodes habent facultatem aſſignandi horas pro Celebratione Miſſarum in S. Cappella, necnon Canonici, & alli pro ſervitio Almæ Domus occupati ſubjacent Protectori, & punctari non poſſunt.

Quodque deputatio, & proviſio, examen, & approbatio Rectorum, & aliorum inſervientium, etiam curam animarum exercere debentium, in Eccleſiis, beneficiis, & Cappellis unitis, annexis, vel aliàs quomodolibet a S. Cappella dependentibus, ad Protectorem pro tempore exiſtentem, vel alium ab eo deputandum pertinere debeat privativè quoad Epiſcopum Lau-

Deputatio, & approbatio Rectorum in Eccleſiis, Beneficus, & Cappellis unitis, & annexis Almæ Domui ſpectat ad Protectorem privativè quoad Epiſcopos.

Lauretanum, alioſque Epiſcopos, & Archiepiſcopos, etiam S. R. E. Cardinales prædictos, & Examinatores etiam Synodales Lauretanæ, & reſpectivè aliarum Diœceſium.

Organiſtæ, & Cantorum deputatio, & amotio, ac juriſdictio ſpectat ad eundem Protectorem, qui tenetur recipere, & exequi eorum defectus, & punctationes in concernentibus ſervitium Chori.

Necnon quod Organiſtæ, & Cantorum quorumcumque ejuſdem S. Domus, ſeu S. Cappellæ, & Eccleſiæ deputatio, & amotio ſpectet, & pertineat ad Protectorem pro tempore exiſtentem, cujus, ſuique Gubernatoris omnimodæ juriſdictioni, correctioni, & viſitationi in omnibus, & per omnia ſubjaceant, teneatur tamen prædictus Gubernator pro tempore exiſtens in concernentibus ſervitium Chori prædictæ Eccleſiæ Lauretanæ recipere, admittere, & exequi defectus, & punctationes per punctatorem Chori pro tempore factas, & in libro punctationum deſcriptos, & deſcriptas.

Solus Protector, ejuſque Gubernator poteſt concedere licentias in S. Cappella celebrandi, & ingrediendi, Et nullus Epiſcopus in ea poteſt exercere Pontificalia ſine eadem licentia.

Inſuperque decernimus, quod facultas concedendi licentiam celebrare volentibus in S. Cappella, nec non quibuslibet perſonis quomodolibet qualificatis etiam Peregrinis ingrediendi S. parvam Cappellam, & ad prædictum effectum notulas, bollettinos nuncupatas, celebrare volentibus dandi, ad eundem Protectorem pro tempore exiſtentem, & ejus Gubernatorem privativè ad ipſum Epiſcopum Lauretanum pro tempore exiſtentem, & alios quoſcunque perpetuò pertineat, necnon quod nullus omninò cujuſcunque dignitatis, qualitatis, & conditionis ſit, nec etiam idem Epiſcopus Lauretanus pro tempore exiſtens poſſit in prædicta S. Cappella ordinationem facere, Chriſmare, Pontificalia quæcumque, & reliqua omnia, quæ ſunt ordinis, legis Diœceſanæ, juriſdictionis, & dignitatis Epiſcopalis exercere, niſi de expreſſa licentia Cardinalis Protectoris pro tempore exiſtentis, vel ejus Gubernatoris.

Vicarius Curatus Almæ Domus, quomodocunque

Quodque idem Vicarius Curatus S. Cappellæ nuncupandus per Protectorem pro tempore exiſtentem,

Digitized by Google

tem, quomodocumque ipſa vicaria, & in quolibet menſe ordinario, ſeu reſervato, ac ex cujuſcumque perſona quamcumque reſervationem, & affectionem, etiam ratione familiaritatis, continuæ commenſalitatis noſtræ, & Romanorum Pontificum Prædeceſſorum, ac S. R. E. Cardinalium familiarium, aut aliàs quomodolibet inducente, vacet, & vacare contigerit, deputari poſſit, & debeat, & de cætero quoad curam animarum, & alia fori pœnitentialis jura cenſeatur, & ſit proprius Sacerdos, & Curatus prædictæ S. Cappellæ, ejuſque Territorii, Gubernatoris, Cuſtodum, Sacriſtanorum, Cappellanorum, Officialium, Miniſtrorum, Factorum, Bubalariorum, Paſtorum, & quorumcunque aliorum Cuſtodum, Laboratorum, Familiarium, & quorumlibet aliorum prædictorum inſervientium, eorumque familiarium, Servitorum, & Famulorum, Clericorumque, & Presbyterorum in Eccleſiis unitis, ſeu annexis, aut aliàs dependentibus exiſtentium, intitulatorum, aut aliàs quomodolibet exiſtentium, ſeu inſervientium, ita quod non teneantur recognoſcere Epiſcopum, ſeu Archiepiſcopum, etiam S. R. E. Cardinalem, in eorum ſuperiorem, etiam ratione cujuslibet delicti, vel defectus, ſive in officio, ſive extra officium delinquant, ſeu deficiant, etiam quoad curam animarum; ſed præceptis Sanctæ Matris Eccleſiæ ſatisfaciant eorum peccata confitendo eidem Vicario, vel confeſſariis ab eo pro tempore deputandis, & per Cardinalem Protectorem, vel alium de ejus mandato examinandis, & approbandis, ac Sacramentum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendo, aliaque Sacramenta ab eodem Vicario, ſeu ejus deputatis prædictis recipiendo, ita quod prædictus Vicarius S. Cappellæ poſſit, & debeat pueros ejus curæ ſubjectos in Fonte Baptiſmatis prædictæ Eccleſiæ Lauretanæ Baptizare, & propterea Sacriſta, vel alius ab Epiſcopo pro tempore deputatus, qui curam animarum Epiſcopo

vacet, deputari debet a Protectore, non obſtante quacumque reſervatione; Et quoad curam animarum efficitur proprius Sacerdos, & Curatus Exemptorũ, itaut non teneantur Epiſcopum in Superiorem recognoſcere, ſed Sacramenta ſuſcipere a dicto Vicario, qui poteſt baptizare in Fonte Baptiſmatis Eccleſ. Lauretanæ.

po ſubjectarum exerceat, & gubernium, ſeu cuſtodiam habeat prædicti Fontis Baptiſmalis, teneatur, & per Protectorem, ſive ejus Gubernatorem pro tempore exiſtentem cogi, & compelli poſſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia, ad aperiendum Fontem Baptiſmalem prædictum, & uſum illius prædicto Vicario pueros, vel alios inibi Baptizare volenti, ſtatim concedendum, & ad prædictum effectum neceſſaria, & opportuna liberè ſubminiſtrandum.

Protector poteſt concedere Dimiſſorias perſonis ſibi ſubjectis, Peregrinos, & alios Confluentes benedicere, Confeſſiones audire, ac ſtatuta, & ordinationes condere, & mutare quoties ſibi videtur.

Liceatque Protectori pro tempore exiſtenti eiſdem perſonis ſibi, ut præmittitur, ſubjectis litteras dimiſſoriales, & teſtimoniales pro ordinibus a quocunque Catholico Antiſtite communionem cum Sede Apoſtolica habente recipiendis, ac pro aliis neceſſariis, & opportunis concedere, eidemque Cardinali Protectori pro tempore exiſtenti Peregrinos, & quoſcunque alios cæteros ad prædictam Sanctam Domum, & Cappellam confluentes, ſeu accedentes benedicere, benedictionemque eiſdem tam in Sancta Domo, ſeu Sancta Cappella, quàm extra in prædicta Eccleſia, ac in Palatio ejuſdem Sanctæ Domus, ac alibi in prædicta Civitate Lauretana concedere, & impartiri, confeſſioneſque ſibi ſubditorum, Peregrinorum, & aliorum cæterorum ad Sactam Domum, ſeu Sanctam Cappellam confluentium in pavimento circumcirca Sanctam Cappellam exiſtente, in Sede inibi ponenda audire poſſe, quodque Cardinalis Protector pro tempore exiſtens ſemel, & pluries, ac toties, quoties ſibi videbitur, & placebit, ſtatuta, & ordinationes pro felici gubernio prædictæ Sanctæ Domus, & Sanctæ Cappellæ, ejuſque bonorum, rerum, & jurium quorumcunque Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non contraria concedere, edere, & publicare, illaque mutare, alterare, corrigere, & emendare, quoties ſibi videbitur, & prout in Domino cognoverit ſalubriter expedire, quæ inviolabiliter ab omnibus obſervari debeant, concedimus. Quod-

Quodque Cardinalis Protector pro tempore exiſtens, ejuſque Gubernator poſſit omnes, & ſingulos fures, ſeu latrones, & quoſcunque alios in Sancta Cappella, & ejus Territorio, & bonis delinquentes, ſeu etiam inde aufugientes, in quocunque loco, etiam Eccleſia Lauretana, Dioeceſique, & Civitate etiam Lauretana capi, retineri, & incarcerari facere, & punire, privativè quoad Epiſcopum Lauretanum, & quoſcunque alios prædictos.

Fures, & delinquentes in S. Cappella, ejuſque Territorio, a bonis capi, & incarcerari poſſunt in quocunque loco &c.

Volumus quoque, & decernimus, quod cura, & adminiſtratio Fabricæ Eccleſiæ Lauretanæ, ac Palatii Sanctæ Domus, Sacriſtiæque, & Hoſpitalis, ac Montis Pietatis Lauretani, necnon Officialium, ac Miniſtrorum Fabricæ, Sacriſtiæ, Hoſpitalis, & Montis Pietatis deputatio, amotio, omnimodaque correctio, & viſitatio ſpectet ad Protectorem pro tempore exiſtentem, ejuſque Gubernatorem privativè quoad Epiſcopum, & alios prædictos etiam S. R. E. Cardinales: Ita quod in omnibus, & per omnia tam Fabrica, Sacriſtia, Hoſpitale, & Mons Pietatis, quàm cujuslibet eorum Officiales, Rectores, Cappellani, Familiares, famuli, Servitores, & quicunque alii Miniſtri inſervientes, & laboratores, eorumque, & cujuslibet eorum familiæ, ſervitores, & famuli, nec non eorum, & cujuslibet eorum bona, res, & jura quæcunque, omnimodæ Juriſdictioni, correctioni, & viſitationi ſubjaceant ejuſdem Protectoris pro tempore exiſtentis, ejuſque Gubernatoris, etiam ratione cujuſvis delicti, ſeu in Officio, ſeu extra Officium, vel aliàs quomodolibet delinquant, & quoad curam animarum reſpectu fori pœnitentialis ſubjaceant, & pareant eidem Vicario Curato nuncupando privativè quoad Epiſcopum, alioſque prædictos eiſdem modo, & forma, prout ſupra de Miniſtris, & bonis Sanctæ Cappellæ diſpoſitum fuit.

Cura, & adminiſtratio Fabricæ Eccleſiæ, Palatii, Sacriſtiæ, Hoſpitalis, & Montis Pietatis, eorumque Officialium, & Miniſtrorum deputatio, amotio, & omnimoda juriſdictio ſpectat ad Protectorem, prout ſupra diſponitur de Miniſtris, & bonis Almæ Domus.

Liceat quoque eidem Vicario Curato nuncupando

Chriſma, & alia, quæ ſunt Ordinis

Epiſcopalis, ſumi poſſunt per Curatum a quocunque Catholico Antiſtite.

do pro perſonarum ejus curæ ſubjectarum ſervitio, uſu, vel neceſſitate petere, & recipere Sanctum Chriſma, & Sacrum Oleum, ac reliqua, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, a quocunque Catholico Antiſtite gratiam, & communionem cum Sede Apoſtolica habente, per ipſum Vicarium de Cardinalis Protectoris, ſeu ejus Gubernatoris licentia eligendo, ſeu etiam reſpectivè vocando.

Examen, & approbatio litterarum dimiſſorialiũ quando ſpectat ad Protectorem, & alios ab eo deputatos.

Volumus etiam, quod litterarum dimiſſorialium, teſtimonialium, & licentiarum Sacerdotum Forenſium, ac Peregrinorum in Sancta Cappella, ſeu in Cappella Sanctiſſimi Sacramenti Miſſas celebrare volentium examen, & approbatio ſpectet ad Protectorem pro tempore exiſtentem, ejuſque pro tempore deputatum, vel deputatos, privativè quoad Epiſcopum Lauretanum, & alios ſupradictos.

Capitulum, & alii, qui tenentur celebrare Miſſas in S. Cappella, & alibi, per Protectorem cogi, & compelli poſſunt.

Per præſentem vero exemptionem, & liberationem S. Domus, ſeu Sanctæ Cappellæ, ejuſque rerum, & perſonarum, ut præmittitur, conceſſam, non intendimus in aliquo liberare, nec liberatum cenſeri Capitulum, Dignitateſque, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, Cappellanos, & quoſcunque alios prædictos, quo minus debeant celebrare Miſſas in dicta Cappella, & alibi hactenus per eos celebrari ſolitas, ſed volumus, quod illas celebrare teneantur juxta tabellam in Sancta Cappella retentam, ſeu retinendam, a Protectore, ſeu Gubernatore faciendam, ad quas celebrandas volumus, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſubtractiones fructuum, & alia juris remedia per Protectorem pro tempore exiſtentem, ſeu ejus Gubernatorem cogi, & compelli poſſe, & debere, privativè ad Epiſcopum Lauretanum prædictum, & quoſcunque alios.

Protector poteſt habere unam clavem Eccleſiæ.

Poſſit quoque Protector pro tempore exiſtens, ſeu ejus Gubernator, habere, & tenere unam Clavem portæ Eccleſiæ Lauretanæ.

Et

Et nihilominus, ut Epiſcopo Lauretano pro tempore exiſtenti debitus honor, & ſua juriſdictio præſervetur, declaramus, volumus quoque, & decernimus, quod præmiſſis omnibus, & ſingulis ſemper, & perpetuò ſalvis, & firmis, ac illæſis remanentibus, ac non aliàs, aliter, nec alio modo, Epiſcopus Lauretanus pro tempore exiſtens, etiam ſi S. R. E. Cardinalis pro tempore fuerit, juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpiritualem, & Epiſcopalem, & quamlibet aliam, ſi quæ ſibi competiiſſet, vel competeret, habere, & exercere liberè poſſit, & debeat dumtaxat in cæteris Dignitates, Canonicatus, Beneficiatos, Clericatus, Cappellanias, Eccleſias, etiam Parochiales, aliaque beneficia in Eccleſia prætata Lauretana, & in tota ejus Civitate, & Diœceſi obtinentibus, aliiſque Clericis, & Presbyteris tam Secularibus, quam Regularibus, necnon Clero, & Populo ejuſdem Eccleſiæ, Civitatis, & Diœceſis, eorumque Bonis, rebus, & juribus, etiam ratione curæ Animarum, Sacramentorum adminiſtrationis, & divinorum celebrationis, poſſitque illos, & illa viſitare, corrigere, & punire, exceptis tamen locis, & perſonis, bonis, & rebus, & quibuſcunque aliis ab ejus juriſdictione, ut præmittitur, ac aliàs quomodolibet exemptis, ac Protectori, ejuſque Gubernatori, & reſpectivè Vicario prædicto ſubjectis.

Juriſdictio Epiſcopi in cæteris dumtaxat: ſalvis, & exceptis præmiſſis.

Necnon ex gratia ſpeciali concedimus Epiſcopo Lauretano pro tempore exiſtenti, quod habere debeat ſeparatam Sacriſtiam, & paramenta, ac res pro cultu divino, & pro ipſius Epiſcopi, & celebrantium uſu neceſſaria, & neceſſarias, ſibi per Protectorem ſub Inventario in Archivio Sanctæ Domus conſervando aſſignanda, & aſſignandas quorum paramentorum, & rerum quantitas, & qualitas ſit illa, quæ erit benè viſa Protectori pro ejus libero, & abſoluto arbitrio, a quo nulla appellatio, reclamatio, reviſio, aut recurſus, etiam ad Sedem Apoſtolicam detur, etiam ſub præ-

Ex gratia ſpeciali conceditur Epiſcopo ſeparatam Sacriſtia, & paramenta Protectori benè viſa, qui eorum ratione poteſt procedere contra Miniſtros Epiſcopales.

textu arbitrii boni viri, qui Cardinalis Protector, ejuſque Gubernator pro tempore exiſtens etiam poſſit contra Sacriſtam, & Miniſtros in præfata ſeparata Sacriſtia per Epiſcopum deputandos, & corrigendos, & alios culpabiles, civiliter, & criminaliter procedere ratione paramentorum, ſuppellectilium, & rerum pro prædicta Sacriſtia ſeparata pro tempore aſſignandorum, & aſſignandarum, ſi illa, vel eorum aliqua furto ſubtracta, vel aliàs deperdita fuerint;

Protector poteſt ad ejus libitum revidere inventarium dd. paramentoria.

Poſſitque Protector pro tempore exiſtens, ejuſque Gubernator ad ejus libitum toties, quoties ſibi placuerit, revidere Inventarium bonorum pro Sacriſtia Epiſcopali, ut præmittitur, aſſignatorum, & bona, ac paramenta, & ornamenta aſſignata, eorumque ſtatum perquirere, & videre, ac cum Inventario confrontare.

Epiſcopus poteſt celebrare Miſſas privatas tantùm in S. Cappella, & tunc in ea communicare quos voluerit.

Volumus quoque, quod Epiſcopus Lauretanus pro tempore exiſtens poſſit ad libitum cum aſſiſtentia duorum, vel ad ſummum trium Presbyterorum celebrare Miſſas, ſubmiſſâ tamen voce, non autem poſſit celebrare Miſſas Conventuales, ſeu Pontificales in S. Cappella, nec in ea reliqua omnia Pontificalia, etiam collationem quorumcunque Ordinum, & Chriſmatis celebrare, facere, nec ſubminiſtrare, & quando, ut præfertur, Miſſas ſubmiſſâ voce in Sancta Cappella celebrabit, tunc tantùm in ea poſſit communicare quos voluerit.

Idem Epiſcopus, & Canonici ex dono gratiæ ſpecialis poſſunt celebrare Miſſas Conventuales ad Altare Sanctiſſimæ Annunciatæ, dummodo non impediatur celebratio Miſſarum, & aliorum divinorum in S. Cappella.

Poſſit tamen Epiſcopus per ſe, vel alium, ac etiam Dignitates, & Canonici, cum ornamentis tamen, & paramentis ut ſupra pro Sacriſtiæ Epiſcopi ſervitio pro tempore aſſignandis, Miſſas etiam Conventuales celebrare ad Altare Sanctiſſimæ Annunciatæ, etiam quod ſit exemptum, & in prædicto loco, ſeu territorio exempto, ac nullius Diœceſis poſitum, ſcilicet in pavimento circa, & prope Sanctam Cappellam inter columnas, & ſcalas prædictas, hoc enim de ſpecialis dono gratiæ ſibi con-

concedimus, ita tamen quod ab Epiſcopo, ſeu a quocunque alio Miſſarum, & aliorum divinorum quorumcunque celebratio in Sancta Cappella facienda horis per Cuſtodes, ut præmittitur, aſſignandis impediri, ſeu perturbari nullo modo poſſit, nec debeat.

Indulgetur eidem Epiſcopo, ut poſſit ingredi parvam Cappellam orandi cauſa.

Inſuperque indulgemus eidem Epiſcopo, non autem ejus Vicario, nec cuilibet alteri per Epiſcopum deputando, ut quandocunque poſſit ingredi Sanctam parvam Cappellam orandi causâ tantùm.

Decretum, quod Epiſcopus, & alii nullam juriſdictionem, nec quidquam aliud præter, & ultra ſibi expreſſe conceſſa, ex quacumque cauſa prætendere poſſint in locis, bonis, & perſonis exemptis.

Decernentes, & expreſsè prohibentes, ac mandantes, quoad Sanctam Domum, ſeu Sanctam Cappellam, Gubernatorem, Vicarium Curatum nuncupandum, Cuſtodes, Cappellanos, & alios inſervientes, ac famulos, & familiares, laboratores, & alias quaſcunque perſonas prædictas, nec non bona, res, & jura quæcunque, territorium, locumque, & loca, Eccleſias etiam curatas, & beneficia, Fabricamque, Sacriſtiam, Hoſpitale, Montem Pietatis, & alia quæcunque, qualiacunque, & quomodocunque in præmiſſis, & eorum ſingulis comprehenſa, ac quomolibet per nos exempta, imo penitùs liberata ab Epiſcopo Lauretano, & quocunque alio Epiſcopo, & Archiepiſcopo, etiam ſi pro tempore foret S. R. E. Cardinalis, & Protectori, ejuſque Gubernatori, ut præmittitur, ſubjecta, eundem Epiſcopum Lauretanum pro tempore exiſtentem, & alios prædictos, ullo unquam tempore ex quacunque occaſione, ratione, jure, vel cauſa quantumlibet juridica, & pia etiam de præſenti forſan incognita, imo incogitata, & de novo ſupervenienti, non poſſe habere, prætendere, deducere, & exercere aliquam aliam juriſdictionem, facultatem, cognitionem, Superioritatem, præeminentiam, prærogativam, auctoritatem, viſitationem, & quodlibet aliud, ſi quæ in locis, & perſonis præmiſſis, ac aliàs quomodolibet exemptis, imò ut præfertur liberatis, & in ſtatu nullius Diœceſis poſitis, & aliis etiam immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjectis de jure, conſuetudine, etiam immé-

memorabili, vel Privilegio Apoſtolico competant, vel quomodolibet competere poſſent cuilibet Epiſcopo, ſive Archiepiſcopo, etiam S. R. E. Cardinali præfatis, in quorum Diœceſi nunc, & pro tempore ſita ſint, ſive exiſtunt loca, & bona exempta, & liberata, ſive perſonæ exemptæ, & liberatæ, ut præfertur, maneant, & habitent, aut commorentur, vel tranſeant, aut Epiſcopo viciniori, aut alteri etiam ex decretis Tridentini, vel aliorum Conciliorum etiam univerſalium, ſubjacere dicantur, vel prætendantur, ita quod idem Epiſcopus Lauretanus, & quilibet alius Epiſcopus, & Archiepiſcopus, etiam ſi pro tempore foret S. R. E. Cardinalis, non poſſit etiam uti vicinior Epiſcopus, ſeu Archiepiſcopus de cætero quidquam aliud, præter, & ultra per Nos eidem, ut præmittitur, expreſsè conceſſa habere, prætendere, vel exercere, etiam vigore cujuſvis interpretationis verborum noſtræ præſentis diſpoſitionis; Quæ verba volumus, quatenus favent Epiſcopo, aliiſque, ſtricte, & prout jacent, quatenus verò Sanctam Domum, ſeu Sanctam Cappellam, & illius Protectorem pro tempore exiſtentem, & alios prædictos juvant, latè, & favorabiliter, quantum poſſibile ſit, eſſe intelligenda, & recipienda, & interpretanda, ita quod idem Epiſcopus Lauretanus, & quilibet alius Epiſcopus, & Archiepiſcopus prædictus, etiam ſi foret S. R. E. Cardinalis, ſit, & eſſe cenſeatur tanquam perſona extranea in præmiſſis omnibus, & ſingulis ſibi expreſsè non conceſſis.

Verba quatenus favent Epiſcopo, & aliis, ſtrictè ſunt interpretanda; quatenus verò Almæ Domui & Protectori, latè, & favorabiliter, quantum poſſibile ſit.

Prohibetur Epiſcopis, & Protectori aſſidare Contumaces, & banditos unius Curæ adverſus aliam.

Prohibemus quoque tam Epiſcopo Lauretano, & aliis Epiſcopis, & Archiepiſcopis, etiam S. R. E. Cardinalibus, eorumque Officialibus, & Miniſtris, quàm Cardinali Protectori pro tempore exiſtenti, ejuſque Gubernatori, & Miniſtris prædictis, ne audeant quoquo modo contumaces, vel banditos unius curæ affidare, vel ſalvum conductum adverſus aliam curiam concedere, nec illos apud ſe quoquo modo, & ex quacunque cauſa retinere. Vo-

Volumus quoque, quod illi, qui præſentibus quoquo modo directè, vel indirectè contravenerint, Excommunicationis, Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, & alii prædicti ſuſpenſionis a divinis, ac interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ſententias, & pœnas ipſo facto abſque aliqua declaratione incurrant, a quibus nonniſi a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præter quam in Mortis articulo abſolvi non poſſint.

Contravenientes præſentibus litteris, ipſo facto incurrunt pœnam Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti reſpective.

Præſentes quoque litteras de ſubreptionis, obreptionis, ac quocunque alio vitio, aut intentionis noſtræ, aut quolibet alio defectu quantumlibet juridico, & ſubſtantiali, etiam ex eo quod prædictæ Eccleſiæ Lauretanæ Sedes vacet, ac etiam ex eo quod per nos prædictæ Eccleſiæ ſic vacanti Procurator, Viſitator, Adminiſtrator, vel alius defenſor datus non fuerit, & tam ipſe, quàm Dignitates, Canonici, Beneficiati, & Clerici, ac Clerus, necnon Civitas, ſeu Populus, & homines Civitatum, & Dioeceſium Lauretanæ, & Recanatenſis, ſeu quilibet alii in præmiſſis omnibus, & ſingulis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere putantes, ac prætendentes, & quicunque alii cujuſcunque qualitatis, ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis exiſtant, etiam ſi eſſent Univerſitates, etiam Laicales, ac Conventus, Monaſteria, & Capitula, ac Collegia etiam Laicalia, citati, vocati, & auditi non fuerint, & quilibet eorum non fuerit vocatus ad præmiſſa omnia, & ſingula concedenda, facienda, & diſponenda, ſtatuenda, & declaranda, ac eiſdem præſentibus litteris non conſenſerint, & quilibet eorum non conſenſerit, ac cauſæ, propter quas omnia, & ſingula præmiſſa emanaverint coram alio minime, vel minùs ſufficienter examinatæ fuerint, & ex quacunque alia cauſa quantumlibet legitima, etiam in corpore juris clauſa, etiam pia, religioſa, ac aliàs quomodolibet favorabili, etiam publica, etiam ratione fundationis, dotationis, conſtructionis, & cujuslibet dictæ erectionis Col-

Clauſulæ ampliſſimæ pro validitate, & obſervatione hujus Conſtitutionis.

Collegiatæ, & Cathedralis, ac etiam ratione obſervantiæ, uſus, & conſuetudinis, etiam longiſſimæ, etiam centenariæ, & majoris etiam immemorabilis, ac etiam ratione prædictorum Capitulorum, ut præfertur, concordata nuncupatorum, ac Conſtitutionum Synodalium Lauretanarum, & Recanatenſium, ac etiam Conciliorum univerſalium, & generalium, & aliàs quomodolibet impugnari, invalidari, infringi, & annullari, ac irritari, ad viam, & terminos juris reduci, nec adverſus illas, & earum clauſulas, & decreta, oris aperitionem, derogationem, revocationem, limitationem, ſuſpenſionem, & modificationem, ac quancunque aliam contrariam, vel aliàs præjudicialem diſpoſitionem, actionem, exceptionem, aut juris, vel facti, aut cujuſcumque alterius gratiæ remedium, etiam ex capite læſionis etiam enormis, & enormiſſimæ, ac etiam cujuſcunque præjudicii etiam majoris, quàm expreſſum ſit, ac etiam incredibilis, & inexcogitati, ac aliàs quomodolibet impetrati, ac etiam motu, ſcientiâ, & poteſtate, paribus, per Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores Noſtros pro tempore exiſtentes cum quibusvis clauſulis, & decretis etiam inſolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus, etiam per viam regularum Cancellariæ, indulti perpetui, ſtatuti, aut legis, ac Conſtitutionis Apoſtolicæ etiam generalis, etiam Conſiſtorialiter, aut aliàs quomodolibet contra præmiſſa omnia, & eorum ſingula conceſſas, & conceſſa, emanataſque, & emanata, ac concedendas, & concedenda, ac emanandas, & emananda; quorum tenores etiam præſentibus haberi volumus pro expreſſis, acceptari, & in judicio, ac extra judicium allegari, deduci, produci, & aliàs illo, vel illis quomodolibet uti non poſſe, quinimò prædicta omnia, & ſingula perpetuò firma, & inconcuſſa, ac valida fore, & eſſe, illaque, & quodlibet eorum ſub quibuſcunque etiam generalibus derogationibus, revocationibus, limitationi-

bus,

bus, ſuſpenſionibus, modificationibus, & quibuſcunque aliis contrariis, & præjudicialibus diſpoſitionibus etiam Conſiſtorialiter non comprehendi, nec comprehenſa aliquo modo cenſeri; ſed ſemper, & perpetuò ab illis libera, exempta, & immunia, ac ſub poſteriori data arbitrio, & ad ſolam voluntatem Cardinalis Protectoris nunc, & pro tempore exiſtentis eligenda, conceſſa cenſeri, illaque in omnibus, & per omnia ſuffragari etiam abſque alia præmiſſorum, & cujuſcunque illorum, ut prætertur, narratorum, ac cauſarum mentem Noſtram moventium juſtificatione, & probatione: Omnes enim, & quoſcunque Protectores pro tempore exiſtentes, eorumque Gubernatores, & Miniſtros, omneſque alios a quocunque onere præmiſſa omnia, & ſingula probandi, & probationem etiam qualem, qualem, & ſumum ſuper eis dandi penitùs, & omnino liberamus, & abſolvimus, quinimò contra omnia præmiſſa, & quodlibet eorum in judicio, & extra, aliquam probationem, etiam per teſtes, ſcripturas, & Inſtrumenta, ſeu litteras Apoſtolicas quaſcunque, & cujuſcunque tenoris ſint, admitti poſſe, & debere prohibemus, & interdicimus; Sicque, & non aliàs, aliter, nec alio modo per quoſcunque Judices, & Commiſſarios, Ordinarios, vel Delegatos, & alios quoſcunque cujuſcunque ſtatus, & gradus, ac quacunque dignitate, & auctoritate fungentes, etiam cauſarum ejuſdem Palatii Apoſtolici Auditores, & Camerarium, ac Cameræ Apoſtolicæ Clericos Præſidentes, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula, ſublata, & decretum irritans &c.

Non obſtantibus præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac Conſtitutionibus fel. record. Symmachi, & Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum de rebus Eccleſiæ, &

Clauſulæ derogatoriæ.

Cameræ Apoſtolicæ non alienandis, ac quoad exemptos Innocentii IV. in Concilio Generali Lugdunenſi incipientis Volentes, ac Pii etiam IIII. etiam Romani Pontificis, Prædeceſſorum Noſtrorum, de gratiis quomodolibet intereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernentibus in eadem Camera præſentandis, videndis, & regiſtrandis, & nihilominus quandocumque præſentari, & regiſtrari poſſint, Noſtrâque de jure quæſito non tollendo, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam generalibus, etiam in Synodalibus, & aliis univerſalibus Conciliis, ac aliàs etiam pluries editis, & emanatis, innovatiſque, confirmatis, & approbatis, indultis quoque, & litteris Apoſtolicis etiam iterato, & pluries contra præmiſſa, ut præfertur, & aliàs etiam per Nos forſan conceſſis, acceptatis, & in aliquo, vel etiam forſan in multis, ſeu in totum hactenus effectum ſortitis, confirmatiſque, & approbatis, ac etiam Cameræ, & Sedis Apoſtolicarum, earumque Fiſco, Camerario, Officialibus, & Miniſtris, necnon prædictis Epiſcopatui, & Civitati, Cleroque, & Populo dictæ Civitatis Lauretanæ, ac etiam Recanatenſis, aliiſque Eccleſiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, ac Monaſteriis, Capitulis, Conventibus, Univerſitatibus, & Collegiis, etiam laicalibus, & quibuſcumque aliis locis, & perſonis, ac aliàs quomodolibet conceſſis, & competentibus, ſtatutis quoque, ac legibus etiam municipalibus quibuſcunque, uſibus, & conſuetudinibus, præſcriptionibus longiſſimis, etiam immemorabilibus, aliiſque in contrarium quomodolibet exiſtentibus, & facientibus, necnon etiam cæteris omnibus, & ſingulis; quas, & quæ in præinſertis literis Prædeceſſorum Noſtrorum, & in eorum ſingulis ipſi Prædeceſſores voluerunt non obſtare: Quorum omnium, & ſingulorum præmiſſorum, & aliorum quorumcumque in eiſdem præſentibus exprimendorum, vel inſerendorum, litiumque, & cauſa-

Clauſulæ quorum tenores &c.

ſarum prædictarum, ac aliarum quarumcumque ſtatus, & tenores etiam veriores, & ampliores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, hac vice ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus, decernimus, & declaramus; quorum tenores, & compendia, ac ſi de verbo ad verbum inſerta, & expreſſa forent, præſentibus ſimiliter habere volumus pro expreſſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ avocationis, extinctionis, caſſationis, ſublationis, abolitionis, declarationum, decretorum, aſſignationis, conſtitutionis, exemptionis, abſolutionum, liberationum, ſuſceptionis, conceſſionum, adjudicationis, voluntatum, indulti, prohibitionum, interdictionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. *Pœnæ.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo, Pridie Idus Julii, Pontificatus Noſtri Anno ſextodecimo.

M. Dat.

Jo: B. Bolognettus.

N. Odot.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Loco ✠ Plumbi.

CONSTITUTIO
SANCTÆ MEMORIÆ
INNOCENTII XII.
PONT. MAX.

IN-

INNOCENTIUS
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SAcroſancta Redemptionis humanæ myſteria, quibus & Chriſtianæ Religionis primordium, & univerſæ per Orbem Eccleſiæ dignitas, & ipſa Romani Pontificis Chriſti Vicarii Apoſtolica celſitudo conſurgit, quemadmodum ad intimum doloris ſenſum ex Sanctorum locorum, in quibus ea Dominus noſter operari dignatus eſt, ſub Infidelium tyrannide gementium, conſideratione Nos provocant; Jamdiu enim eſt, quod venerunt Gentes in hæreditatem Domini, polluerunt Templum Sanctum ejus, & poſuerunt Civitatem Sanctam Jeruſalem in opprobrium, & direptionem: ita ad Sacra ejuſdem Redemptionis noſtræ monumenta, quæ, Divinâ largiente gratiâ, ſub Chriſtianorum poteſtate, ac potiſſimum ſub temporali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ditione reperiuntur, eò ſtudioſius cuſtodienda, atque impenſius

ſius veneranda Pontificiam noſtram ſolicitudinem excitant, & impellunt.

In Lauretana Domo nata eſt B. Virgo, atque ab Angelo Annunciata.

Sanè cum Sacrum illud Cubiculum, ſeu Sanctam Domum Lauretanam nuncupatam, ubi primum glorioſiſſima Dei Genitrix, ac ſemper Virgo Maria quaſi Aurora conſurgens præclarâ Nativitate ſuâ gaudium annunciavit univerſo Mundo, ac ubi Unigenitum Dei Filium Sancti Spiritus obumbratione concepit, inſigni miraculo, ac Angelorum Miniſterio ad Piceni noſtri Provinciam tranſportatum univerſus Chriſtianus Orbis veluti primum tabernaculum Dei cum hominibus, jam a pluribus ſæculis veneretur in terris, & Omnipotens de Cœlis Deus aſſiduâ miraculorum frequentiâ illuſtrare non ceſſet; Nos erga tam Sacroſanctam Domum mentis noſtræ aciem ſimul, & cordis affectum convertentes in eam libentiſſimè curam incumbimus, ut, remotis iis, quæ diſſidia, & offenſiones parere quoquo modo poſſent, felici proſperoque præfatæ Sanctæ Domus, & Lauretanæ noſtræ, quæ velut in acriis ejuſdem Domus Domini poſita eſt, Civitatis regimini, Romanorum etiam Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum aliàs deſuper editis Conſtitutionibus, ubi opus fuerit, reformatis, & immutatis, Apoſtolicâ providentiâ conſulamus.

Clemens VII. huic S. Domui Caſtrum Lauretanũ cum habitatoribus &c. ſubjecit.

Aliàs ſiquidem plures Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri ob eximium Religionis zelum, atque in Deiparam Virginem devotionis affectum, quamplurimis eamdem Sanctam Domum privilegiis, indultis, gratiis, & prærogativis condecorarunt, & ſignanter fel. rec. Clemens Papa VII. Prædeceſſor noſter inter cætera Caſtrum Lauretanum, ejuſque habitatores, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis curæ, gubernio, adminiſtrationi, & regimini cum mero, & mixto imperio, & gladii poteſtate Commiſſarii, ſeu Protectoris dictæ Sanctæ Domus ſubmiſit, & demandavit; ac noviſſimè recol. mem. Paulus Papa V. etiam

Præ-

Prædeceſſor noſter volens diverſis litibus, & contentionibus, quæ inter Epiſcopum Lauretanum, & Protectorem præfatæ Domus exortæ fuerant, & oriri poſſent in poſterum, obviare; utque eadem Sancta Domus Lauretana, ejuſque Officiales, & Miniſtri quicunque, nec non Bona, res, & jura ad eam pertinentia meliùs & faciliùs gubernarentur, eidem Sanctæ Domui, ſeu Sancto Cubiculo Lauretano ſolum, ſeu pavimentum tam ejuſdem Sancti Cubiculi, ſeu Sanctæ Cappellæ, quàm circumcirca uſque ad Columnas, & Scalas incluſivè contentum, in Territorium proprium, diſtinctumque, & ſeparatum nullius Diœceſis, in quo de cætero ſolus ejuſdem Sanctæ Domus Protector pro tempore exiſtens, ejuſque Gubernator, privativè quoad Epiſcopum Lauretanum, etiam ſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis exiſteret, juriſdictionem omnimodam, & quaſi Epiſcopalem habere, & exercere poſſet, perpetuò conſtituit, & aſſignavit, ipſamque Domum, ſeu Cappellam magnam, & parvam nuncupatam, ac pavimentum, & Territorium prædictum, ejuſque Gubernatorem, Officiales, Miniſtros, & quoſcunque alios tam Laicos, quàm Clericos, & Regulares eidem Sanctæ Domui, ſeu Cappellæ, ejuſque bonis quomodolibet inſervientes, nec non eorumdem Officialium, Miniſtrorum, aliorumque inſervientium familias, Servitores, & famulos, & quoſcunque cujuſvis generis, conditionis, & præeminentiæ Peregrinos ad eamdem Sanctam Cappellam, ſeu Eccleſiam Lauretanam confluentes, nec non ejuſdem Sanctæ Domus palatia, ædificia, poſſeſſiones, & prædia quæcunque, & reliqua bona tam ſtabilia, quàm mobilia, & ſe moventia ubicunque exiſtentia, ſuppellectilia etiam pretioſa, pecunias, eleemoſynas, donationes, & quæcunque relicta, ab omni, & quacunque Epiſcopi Lauretani Superioritate, juriſdictione, dominio, ac poteſtate, perpetuò, pleniſ-

Paulus V. ſua Conſtitutione Sanctæ Domui, & ad eam pertinentibus Protectorem præfecit, qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ea haberet privative quoad Epiſcopum, tanquam in Territorio nullius Diœceſis.

niſſimè, penitus, & omnino exemit, & liberavit, ac ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ Protectione ſpeciali ſuſcepit; omnimodamque juriſdictionem Eccleſiaſticam, & Spiritualem, & quaſi Epiſcopalem in præfatam Sanctam Domum, ejuſque Territorium, Miniſtros, Officiales, alioſque Inſervientes, ac Peregrinos, reſque, Bona, ac jura prædicta eidem pro tempore Protectori ſubjecit, & adjudicavit, variis eidem Protectori, tam circa Vicarii Curati deputationem, quàm circa dimiſſorialium litterarum conceſſionem, aliaque quamplurima, privilegiis, & facultatibus attributis, prout in præfatorum Clementis in forma Brevis ſub die decima tertia Januarii milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto, Ponrificatus ſui anno primo, & Pauli Prædeceſſorum ſub plumbo anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo pridie Idus Julii Pontificatus ſui anno decimoſexto reſpectivè expeditis litteris uberiùs continetur.

Cauſa hujus Conſtitutionis.

Nos vero, provide conſiderantes, & hujuſmodi formâ regiminis non eam, quæ ſperabatur, utilitatem proveniſſe, quin potiùs experientiâ, & quamplurium ad Apoſtolatum noſtrum perlatis querelis, atque recurſibus certiores effecti, imminutâ nimis Epiſcopi poteſtate, diſciplinam Eccleſiaſticam paulatim diſſolvi, nec non Cleri, populique Mores, auctâ exemptorum multitudine, relaxari, non ſine frequentibus Prælatorum, ac ſubditorum perturbationibus; itaut quod aliàs in præfatæ Sanctæ Cappellæ decus, & commodum, ab iiſdem Clemente, & Paulo Prædeceſſoribus ſalubriter conſtitutum fuerat, jam temporum varietate, ac fortaſſe hominum malitiâ in ejuſdem noſcatur vergere detrimentum, habitâ ſuper his cum nonnullis Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & dilectis Filiis Romanæ Curiæ Prælatis deliberatione maturâ, præfatas Prædeceſſorum literas, earum tenores etiam veriores, præſentibus

Motu proprio &c. Prædeceſſorũ Litteræ moderantur, reſtringuntur, immutantur.

bus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione ad formam, & terminos infra exprimendos moderamur, reducimus, reſtringimus, & immutamus.

Pauli V. Conſtitutio quoad exemptionem S. Domus ab Epiſcopo, confirmatur; Protectorat verò ſupprimitur, & S. Domus ſub immediata S. Sedis Protectione ſuſcipitur.

Ac primò quidem cupientes præfatæ Sanctæ Cappellæ, ſeu Domui, ubi Verbum caro factum eſt, præeminentiam omnem, decus, & honorificentiam conſervari, nec ulla ex parte imminui, quin potiùs uberioribus gratiis, & privilegiis amplificari; diligimus enim decorem domus Dei, & quam maximam poſſumus gloriam Nomini ejus afferre ſatagimus in aula Sancta ejus; eidem Sanctæ Domui Territorium proprium, ac ſeparatum, atque ab omni Ordinarii juriſdictione exemptum, & quaſi Epiſcopale in præfatis Pauli Papæ V. Prædeceſſoris noſtri literis aſſignatum tenore præſentium confirmamus, & approbamus, idemque Territorium unà cum omnibus præfatæ Sanctæ Domus Miniſtris, & Officialibus, aliiſque perſonis ei quomodolibet inſervientibus, vel ad eam ex qualibet Mundi parte devotionis gratiâ confluentibus, ejuſque Bonis quibuſcunque ubilibet exiſtentibus, ad formam præfatarum Pauli Prædeceſſoris literarum, ab omni, & quacunque Ordinarii juriſdictione, iterum, ac pleniſſimè, & penitùs eximentes, præfato Protectori, quod per obitum bo. mem. Palutii, dum vixit, Epiſcopi Portuenſis S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati, de præſenti vacat, Officio, dignitate, titulo, ac denominatione perpetuò ſuppreſſis, ac prorſus de medio ſublatis, ſub Beati Petri, noſtraque, & Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, & immediata Protectione ſuſcipimus.

Congregationi nonnullorum S. R. E. Card. ac Prælat.

Omnem verò, & quamcunque juriſdictionem tam Eccleſiaſticam, & Spiritualem, ac quaſi Epiſcopalem, quæ in eamdem S. Domum, ejuſque Territorium,

Lauretana nuncupandæ, omnis in posterum Jurisdictio, quam Protectores exercebãt in S. Domo demãdatur.

Officiales, Ministros, Peregrinos, ac Bona prædicta, quàm secularem, sive laicalem in Communitatem, homines, & Civitatem nostram Lauretanam, ejusque Comitatum, atque districtum, ut supra, Protectori pro tempore Sanctæ Domus ejusdem, sive ex præfatis Clementis, ac Pauli, sive aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, Constitutionibus, indultis, privilegiis, aut aliàs quomodolibet competebat, quando quidem ei Romani Pontifices per se ipsos Apostolicæ servitutis curis, & omnium Ecclesiarum solicitudine prægravati, vacare non possunt, exerceri in posterum statuimus, & mandamus per Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, nec non dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, Lauretanam nuncupandam, quam ad hunc effectum tenore præsentium erigimus, instituimus, & specialiter deputamus.

Facultates huic Congregationi concedũtur Statuta, & Ordinationes condendi &c.

Eidemque Congregationi, ut semel, & pluries, & quoties sibi videbitur, & placebit, quæcunque statuta, & ordinationes pro felici prædictæ Sanctæ Domus, ejusque Bonorum, ac Personarum eidem inservientium regimine, Sacris tamen Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non adversantia, & signanter quoad numerum Ministrorum, & Officialium ejusdem Sanctæ Domus privilegiis, & exemptionibus gaudentium, quem per eamdem Congregationem omnino reformari, & ad solos necessarios restringi volumus, ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observanda condere, edere, & publicare, illaque mutare, alterare, corrigere, & emendare, prout in Domino salubriter expedire cognoverit, concedimus, & indulgemus.

S. Domus, & Civitatis regimen quoad Spiritualia Episcopo tanquam

Quò verò præfararum Sanctæ Domus, & Civitatis regimen, meliùs, distinctius, omnique, quantum fieri potest, litium, & contentionum, remoto periculo-

riculo adminiſtretur, omniaque honeſtè, & ſecundum ordinem fiant, volumus, & mandamus, ut Congregatio præfata in ſpiritualibus quidem, quæ ſcilicet ad Eccleſiæ cultum, Chori ſervitium, divinorum celebrationem, Animarum curam, Sacramentorum adminiſtrationem, morum correctionem, aliaque hujuſmodi pertinent, Epiſcopi Lauretani pro tempore exiſtentis, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, in iis verò, quæ quorumcunque Bonorum ejuſdem Sanctæ Cappellæ temporalem adminiſtrationem, nec non dictæ Civitatis Lauretanæ, ejuſque Comitatus, atque Diſtrictus, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus, ſeu mixtis gubernium ſeculare concernunt, Romanæ Curiæ Prælati, in Gubernatorem a nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice deputandi, opera, & Miniſterio uti debeat.

Sedis Apoſtol. Delegato, quoad temporalia Gubernatori committitur.

Ac propterea tam domorum, ædificiorumque omnium fabricam, & manutentionem, quàm ſupellectilium cujuſcunque generis, paramentorum, gemmarum, aliorumque jocalium, quæ ſub theſauri nomine nuncupantur, nec non eleemoſynarum, & largitionum quarumcunque cuſtodiam, atque etiam Montis Pietatis, Noſocomii, Hoſpitii, & Triclinii pro pauperibus peregrinis ſuperintendentiam Gubernatoris præfati curæ committenda eſſe, Miniſtros verò ſupradictis locis, & rebuſque inſervientes, ſi Clerici fuerint, in concernentibus dumtaxat eorum Miniſterium Gubernatori præfato, in reliquis autem Epiſcopo Lauretano tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, Organiſtam demum, Cantoreſque quoſcunque ejuſdem Sanctæ Domus, quoad correctionem morum, Eccleſiæque ſervitium Epiſcopo, in cæteris Gubernatori ſubeſſe debere decernimus, & declaramus.

Epiſcopi, ac Gubernatoris facultates explicantur.

Quoniam verò nonnullæ Eccleſiæ, ſeu Beneficia, etiam curata, præfatæ Sanctæ Domui, ſeu Cappellæ unita, annexa, vel ab ea dependentia, non in Lau-

Eccleſiæ, & Beneficia ubique ſita ſubjiciuntur

Ordinariis locorũ ſub Congregationis Lauretanę dependentia.

retana ſolùm, ſed in quampluribus etiam aliis Diœceſibus reperiuntur, ut earumdem Eccleſiarum, Beneficiorumque bono regimini, rectæque Adminiſtrationi conſultum ſit, eaſdem Eccleſias, earumque Rectores, alioſque Miniſtros quoſcunque, Epiſcoporum, aliorumque Ordinariorum, in quorum reſpectivè Diœceſibus ſita ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatorum, juriſdictioni, viſitationi, correctioni, ſub Congregationis tamen, ut ſupra, a Nobis erectæ regimine, & omnimoda dependentia, ſubeſſe volumus, & mandamus. Idemque prorſus quoad omnes, & ſingulos Colonos, ſive Officiales ejuſdem S. Domus extra Diœceſim Lauretanam ubilibet exiſtentes, ad debitum tamen numerum, ut ſupra, reducendos, ſervari ſtatuimus.

Eorundem Beneficiorum &c. Collationes &c. S. Sedi reſervantur.

Beneficia autem prædicta, & alia quæcunque, cum cura, & ſine cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia qualitercunque qualificata, & ubicunque exiſtentia, quæ ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, & quamvis aliam diſpoſitionem, præfatæ Domus pro tempore Protectoris quomodolibet pertinebant, ordinationi, diſpoſitioni, & proviſioni Noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ perpetuò reſervamus.

Controverſiæ, quæ ſuper hac Conſtitutione oriantur, Congreg. Laur. facultatibus eidem conceſſis declaran &c. relinquuntur.

Si quid verò circa præſentis Noſtræ Conſtitutionis obſervantiam, interpretationem, ſive declarationem ullo unquam tempore controverti, aut dubitari contigerit, id omne præfatæ Congregationis a Nobis ut ſupra inſtitutæ, judicio, cui propterea omnem deſuper facultatem neceſſariam, & opportunam concedimus, & impartimur, declarandum, decidendum, definiendumque eſſe, nec non quacumque appellatione, recurſu, nullitatis dictione remotis, ab omnibus ſervandum omninò, diſtrictè præcipimus, & mandamus.

Clauſulæ am-

Decernentes, præſentes litteras etiam ex eo quod Epi-

Epiſcopus, Capitulum, & Clerus, aut Communitas, & homines præfatæ Civitatis Noſtræ Lauretanæ, ac alii quicunque in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, eiſdem non conſenſerint, aut vocati, ſeu auditi non fuerint, aliaque quavis de cauſa quantumvis legitima, & juridica, de ullo ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis Noſtræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, vel incontroverſiam revocari, aut ad terminos Juris reduci nullatenus poſſe, ſed ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & ab iis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis Auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

pliſſima pro validitate, & obſervantia hujus Conſtitutionis apponitur.

Non obſtantibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, præmiſſis Clementis, & Pauli Prædeceſſorum hujuſmodi, & aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, & Univerſalibus Conciliis editis, innovatis, & confirmatis, noſtraque de jure quæſito non tollendo, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac dictarum Sanctæ Domus, & Eccleſiæ, & Civitatis Lauretanæ etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis Sanctæ Domui præfatæ, illiuſque Protectori pro tempore exiſtenti conceſſis, & quibuſvis aliis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum de-

Clauſula derogatoria.

derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, nec non etiam cæteris omnibus, & ſingulis, quæ in præinſertis literis ipſi Prædeceſſores voluerunt minimè obſtare.

Clauſulæ quibus, & eorum tenoribus ec.

Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exqueſita forma, ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ad effectum preſentium illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Concluſio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ moderationis, confirmationis, exemptionis, ſuppreſſionis, erectionis, conceſſionis, declarationis, reſervationis, decreti, & derogationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Pœnæ.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo, nonageſimo octavo Nonis Auguſti Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

J. F. Card. Albanus.
B. Card. Prodatarius.

Viſa de Curia C. A. Fabronus.
P. Porta.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno

Anno a Nativitate Domini N. Jeſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo, Indictione ſexta, die verò nona Auguſti, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Octavo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Eccleſiæ S. Jo: Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Sebaſtianum Vaſellum ejuſdem Sanctiſſimi D. Noſtri Papæ Curſorem.

Joſeph Staggius Mag. Curſ.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

F. Nicolaus Ridolfi Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici Ord. Præd.

ROMÆ
EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS
PALEARINI
AD THEATRUM POMPEII AN. REP. SAL. MDCCXLIII.
PONTIFICATUS SANCTISS. DOM. NOSTR.
BENEDICTI XIV.
AN. III.

VA1 1532473

180
E 3
41

Digitized by Google